

Wd  
3382









D. O. M. A.

JUBILEI SAXO-  
COBURGICI

DESCRIPTIO HISTORICO-

POËTICA.

*Ad Auctoritatem & approbationem singularem,*  
Amplissimorum Dnn. SCHOLARCHARUM,  
In

*Virorum gravissimorum, tum Ecclesiasticorum,*  
*tum Politicorum, Dnn. Consiliariorum, Doctorum, Pastorum,*  
*Professorum, Magistrorum, Studiosorum, aliorumq; Hospitum bono-*  
*ratissimorum, consessu solenni,*

Die 8. Septembr. anni Jubilæi, hoc est, post Chri-  
stum natum 1630.

*Collegij CASIMIRIANI cathedra, publicè declama-*  
*ta & habita.*

Ac insuper monitu & rogatu multorum Literatissi-  
morum, Augustanæ Confessioni addictorum, studioso-  
rumq; in futuræ posteritatis gratiam & celebrati Jubilæi  
apud Coburgenses gratam recorda-  
tionem,

*Cum Dnn. Superiorum licentia publicis*  
*typis commissa.*

M. PHILIPPO Eschenbach / Coburg. in patria  
DIACONO.

COBURGI Typis Caspari Bertschij, ANNO M. DC. XXX.







AD

*Illustrissimi & Celsissimi Principis ac  
Dn. Dno.*

**JOHANNIS CASIMIRI,**  
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,  
MONTANIÆ, LANDGRAVII THURINGIÆ,  
Marchionis Misniæ, Comitis de Marca & Ravenspurgo,  
Domini in Ravenstein, Domini nostri cle-  
mentissimi,

**DITIONEM PERTINENTIBUS**  
Civitatibus omnibus & singulis, & in iisdem clavum  
& clavem reipublicæ tenentibus

**VIRIS**

*Amplissimis, Spectatissimis, Prudentissimisque, & rerum politica-  
rum usu ac experientiâ eminentissimis,*

**DOMINIS CONSULIBUS, PROCONSULI-  
bus, Syndicis & Senatoribus omnibus ac  
singulis,**

**REIPUBLICÆ**

**COBURGENSIS.**

**GOTHANÆ.**

**HILPERSHUSANÆ.**

**EISFELDENSIS.**

**HELTBURGENSIS.**

**ROMHILDENSIS.**

**ROTAGENSIS.**

**NEOSTADIANÆ.**

**WALTHERSHUSANÆ.**

**PESNICENSIS.**

**UMMERSTADIANÆ.**

**SCHALCOVIANÆ.**



**SÖNNEBERGENSIS.**

**DOMINIS,** promotoribus, fautoribus & amicis suis, qui-  
busvis pietatis, amoris, observantiæ & honoris officijs,  
animitus semper suspiciendis.

):( 2

*Vobis*




  

**V**obis patet omnibus, Amplitudine, Prudentia, Spectabilitateq; conspicui Viri, Dn. Promotores, Fautores & amici, ὀλοκαρδίως καὶ ἀδιαλείπτως venerandi-aman-di: Vobis omnibus, inquam, patet, quomodo nostrum JUBILEUM, in Augustanae Confessionis, cui nos addicti sumus, & cum bono DEO manebimus, recordationem, sub tota Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Dn. Dn. JOHANNIS CASIMIRI, Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, &c. Dn. nostri Clementissimi, ditio-ne, ad peculiare mandatum & instructionem accuratissimam, circumstantialiter hinc inde celebratum fuerit. Coburgi in metropoli nos, uti speramus, bono exemplo vobis praevimus: Vos omnes, emuli, uti constat, simul ὁμόψηφοι ὁμόθυμοι, devotè, sanctè, & piè celebrastis. Iterabimus, ceu speramus, hoc JUBILEUM, non nisi in Ecclesia triumphante. Instat enim dies extremus, ut meritò cum D. Polycarpo hoc seculo perversissimo ingemiscere nos oporteat: O Deus, in qua nos reservasti tempora! Ad rem & propositum! Ego met in domo Domini minimus, paulò altiùs & quidem non sine singulari delectatione, perpendi, quomodo κατὰ τὰς ἐξουχίονας πάντα in JUBILEI nostri festivitate, apud nos Coburgenses, fuerint peracta: Inde q; animum induxi meum, non abs re pietati fore, si & hunc laborem DEO dirigente susciperem, & secundum omnes circumstantias poëtice describerem, quibus modis scilicet ab hoc vel illo, in singulis templis, Aula, & Collegio Casimiriano, festum nostrum, commissi officij ratione sollemnissimè peractum & celebratum sit.

Quicquid autem feci, id, Deus ita me amet, perfeci, non ut gloriolam humanam captarem, nec ut venam poëticam, quam ipsemet nullam agnosco, ostenderem: sed in solius Dei gloriam, & ut aliquando posteritati, si qua futura est, constaret, quomodo & à quibus personis κατὰ πάντα COBURGI in mea dilectissima patria celebratum sit festum Jubileum. Cum igitur & Vos nobiscum ad DEUM, ceu decuit, devoti fueritis in hoc ipso religiosissimo cultu; Ego hunc actum Oratorium ad multorum Φιλομάσων, plurimo-  
 rum



rum ὁρῶδ' ἔωv monitum, typis publicis commissum, Civitatum Illustrissimi nostri singularum Senatibus inscribere & dedicare volui, nihil dubitans, quin favorabili mente accepturi, & ad gratam posteritatem sitis reservaturi.

COBURGA, ὦ dilectissima mater vel patria! quid Ego ratione studiorum meorum tibi debeam, jam dudum exposui, nec etiamnum charitati & gratitudinis nexu, vobis obstrictissimā effluxit mente. Et licet, Vir singulari auctoritate & prudentiā spectabilis, Dn. Flemmere (cui insimul de modo commissa Consulatus Sparta animitus gratulor) Te lateat, ordini tamen tuo Collegiali adhuc in recenti haeret memoria, & vel in primis Spectab. Prudentis. Literatis. Dn. Bonaventuræ Breitheupt, jam proconsuli, & Dn. Erhardo Abbati Syndico & poligrammatico solertissimo, quæ causa inter ceteras, non fuerit minima, cur ante decennium AHORNâ buc sim legitime vocatus: nempe Stipendiarius, uti loquimur, vester fui. Disseream, nisi gratus & per omnem vitam memor fuero. An tibi & hunc sætum, mater studiorum meorum dulcissima, patria dilectissima!

GOTHAM, ut fatear, oculis equidem, licet multoties desiderarim, nondum vidi: attamen viri mihi quidam & famâ & mente & oculis, quidam famâ solum sunt notissimi, perspectissimi. Ex classe illa primus est, Rev. & Claris. Dn. M. Waltherus, Superintendens vigilantissimus, Præceptor meus in lingua sacra IENÆ fidelissimus, à me etiamnum multis nominibus colendus-amandus. Alter est Spectabilis Dn. David Gödelmannus, præfectus annonæ vel rei frumentariæ expeditissimus, meus in fidei professione & vitæ confessione filius, Coburgi dum viveret, præ multis, charissimus, fautor & amicus ex intimis notissimus, candidissimus. Accedit Politissimus & Præstantissimus Dn. Nicolaus Bajerus, actionibus justitiariis addictissimus, meus ἀπ' ὀνύχων, tum in Gymnasio patrio tum Academia Ienensi commilito & cōterraneus suavissimus. Ex classe hac denomino Wilckium illum, de literis optime meritum, Rectorem gravissimum, uti & Weitzium pro R. philologum acutum, Dnn. mihi amandos-honorandos. Non ergo, Tu Gothacelebris, meum Jubileum despicias, & si de meo candore, quandoquidem facie ignotus sum, vel tantillum ambigere velis; prædictos meos præceptores, fautores & amicos, ceu oraculum consule.

Nec vos prætereo Hilperhusanos Spectatissimos: Vester in me favor singularis singulariter menti impressus ante semestre fuit: Officij ratio tum temporis imperabat præmaturum discessum. Ignotus equidem quàm multis civibus & incolis sum: interim præ ceteris à me peramicè salveat Rev. Dn. Simon Schnet-



ter, Pastor & Adj. fidelissimus, fautor, frater & cognatus peramandus. Salveat ille cum toto Ministerio, Salveat eximius, Politis. & Literatissimus, uti & experientissimus Vir Dn. M. Rabius Rector meritissimus, Medicina addictissimus, ob conversationem mihi jucundissimus, gratissimus. Salveat Prudentis. & Spectabilis Dn. Consul Panfa, cum omnibus Collegii in senatu honorati, facie mihi ut plurimum incogniti: Salveat & nuperè mihi in sponsalibus Purzelianis perspectus Dn. Consul Ambrosius Dietz. Salveat nec minus praestantis. & Doctissimus Dn. JACOBUS MICHAEL poligrammateus, salvere singuli, quorum nomina nec occurrunt, nec charta angustia patitur; salvere, salvere.

EISFELDIA, salve mihi charissima, honoratissima: Salve mihi Reverende multum Dn. D. Keslere, Superintendens vigilantissime, Sympatriota cordicitus venerande amande, Et te carmini meo, licet rudi, inseruisse, non tam placuit quam decuit, cum constet, te operans apud nos pro celebrando Jubilèo in Casimiriana cathedra, vice Dn. nostri Generalissimi Doctoris Finckij vicariam quidem, at certè laudabilissimam navasse operam. Non malè vertes: auribus nihil inserivi; sed pro veritate rei locutus sum singulari. Salveat à me quàm officiosissime Amplissimus Dn. praefectus Lattermannus, quem equidem videndi & cum eo vel duobus colloquendi verbi semel tantum, & quidem in fratris, Praecellentissimi Dn. Johannis Lattermanni Redituum illustrium praefecti & Consiliarij meritissimi, patroni mei magni, domo contigit. Salve & mihi cognate conjunctissime, amicissime, Dn. Hoffmannè, Pistor & Senator Eusfeldensis circumspecte: Gratulor tibi adhuc semel de filio tuo, Rev. Dn. Pastore in Steinhend; qui non sufficere arbitratus est Jubilèum Steinhaidl celebrasse; sed & Coburgi comparuit, actum dissertationis Jubilèæ Keslerianæ praesentiâ cohonestavit, & quod ἀξιωματικῶς ἔσται, primas opponendi partes invitatus & provocatus subiit, & non sine Auditorij applausu perfecit.

Ad te HELTBURGUM, nomine-omine celebratum, transitum facio. Semel quidem te per omnem meam vitam visere mihi contigit; interim de pietate & justitia audi quam optimè, vel teste omni exceptione majore, Praeceptore meo benè merito, Rev. & Clarissimo Krugio, Superintendente laboriosissimo, vigilantissimo. Acceptabitur, Senatores optimi, hoc quicquid est, ea ex mente, quâ est profectum: nec ullus dubito, quin Jubilèum apud vos ad unguem nobiscum concelebratum fuerit.

Tu



Tu Rauschete, Vir Strenue, Amplissime & Fortissime, Patrone candidissime, animi favorabilis vinculo, etiamnum tantoperè erga me affectus es, ut in cordis capsula Coburgum & Romhildam coniunxisse videar. Etenim quoties Romhilda mihi sub colloquio φιλομαθῶν καὶ φιλοθεολόγων occurrit, toties Rauscherus meus mihi obvenit. Auget Romhilda dulcissimam recordationem Rev. Dn. Superintendens M. Steinbruccius, mihi à multis anni notissimus, successor meus in collegio Casimiriano dignissimus. Auget insimul meus, certè totus, Scisingius, patris loco semper habendus, Rev. Dn. Pastor Menthusanus, aliquot ante lustra Rector apud nos Scholæ Senatoriæ, postmodò Diaconus Coburgensis fidelissimus. Hunc studiorum puerilium manu ductorem agnosco: per biennium Menthusij me puerum decennem vixisse, & quidem bene, memini. At, & quoties tum temporis Romhildam non sine delectatione vidi?

Quid de te Rotag? causa dedicationis meæ geminâ tibi competit ratione. Nam & tu inter civitates Dn. nostri clementissimi numeraris: accedit insuper causa, mihi vel quasi domestica, quia nempe Te, Meus pater patriam salutat & veneratur jugiter exoptatissimam. Pauperculus enim ibi, at honestus natus fuit parentibus, per lavacrum sacrum renatus, educatus, & à Dn. Senatoribus jam fermè ad unum ἐν ἀγίοις, καὶ δόξῃ ad opificium promotus. Salve mihi Rev. Dn. Pastor, & Adjuncte Dn. Wagnere, salve mihi ὀλοκαρδίως, salve à studiis continuatis exploratissime, salve Ex-Collega desideratissime. Salve mihi Politissime Dn. Geilingi, poligrammatèc expedite, salve vel propter tuum Progenitorem, dum viveret, longè candidissimum, mihi dilectè.

Nunc Neostadium, naviculâ epistolari appello. Incognitus equidem vobis in senatu honorisito, vobis per literas appareo; at dedicationis causam superius explanatam sine dubio percepistis. De meo animo, si dubitatis, exquirite apud vos Rev. Dn. M. Bejerum, Diaconum vestrum industrium. Carmen Iubileum fecit illius mentionem. Præstitit enim in celebratione nostri FESTI Jubilæi operam meritò notabilem, uti forsàn fama ad vos detulit, & in carmine, ἀληθῶς videtis. Addite, si placet, vestrum poligrammatèum, Dn. Riccium, Compatrem meum charissimum.

WALTERSHUSANAM rempubl utpote non minùs ditioni & jurisdictioni Casimirianæ subiectam omni jure adjungo, nec, quin Jubilæum meum vel propter nostrum Illustris. Clementissimumq; , sit acceptum, ambigo.

Et tu Senatus Pefnicensis prudentissime, à viro licèt penitùs ignoto

Jubi-



Jubiléum Saxo-Coburgicum, ob causam superius allatā, accipies. Sed quid praetendo? Hac meā oratione & dedicatione Tibi gratulor de novo Pastore. Ex singulari enim gratia Illustrissimi & Celsissimi Principis & Dn. Dn. nostri Clementissimi, superius honorificentissimè denominati, Rev. Dn. Rindermannum, patriā Coburgo-Francum, ad tempus Exulem Christi Mertzbachensem, habetis.

Habetis autem Pastorem legitimè vocatum & confirmatum, habetis in eruditione, pietate, modestiaq; talem ad vos promorum, ut potius, si Deo placuisset, dignissimum, in Franconia parochiæ cuidam præfici oprassemus; sed agnosceatis, omnes Pessnicenses, quod magistratui placuit, id Deo dirigente esse factum. Interim Tu Rindermannne, vive & vale, præsta te, qualem te decet, virum. Vale, nostri memor: committe nos in ministerio Coburgensi tuis precibus, quos reciprocantes, uti valedicenti dixi, experieris.

Si Tu, Uimmerstad, das nominis documenta, uti vulgus ait, te nempe ὄνομα θεοῦ gloriari tantā & tali, quasi denomineris Immerstadt, tibi meritò potior assignandus fuisset locus: dabo autem veniam, si alias positionis vel locationis causas ponderaveris. Interim scitote omnes, me locationis ordinem non iudicio privato; sed consultis politicis, & talibus, quibus res hæc tota exactè constat, ita observasse. Salveat autem à me Pastor vester, Rev. Dn. Chilian, meus à Musis Casimirianis intimè notus. Et ille nostrum actum Jubiléum in Collegio Casimiriano tum præsentia, tum ovæ sui amicæ, condecorare non gravatus est.

Schalcovia quid tu? suscipies meum Jubiléum amicæ manu & mente, certus sum. Salve à me Rev. & Clariss. Dn. M. Hubmejerè, Pastor & Adjuncte ibid. vigilantissime, salve tum Collega charissimo, meo Dn. Compatre Wolfgango Geigero. Vos pro mei animi affectione optima, coram senatu mihi ignoto, si opus, spondebitis.

Tandem saluto Solis Montem; non despicere meam Musam, seriùs licet venientem: trans sylvam sedem collocasti: audi, & mea vena est sylvestris: Interim à me salveat Rev. Dn. M. Weiglerus, Pastor Sonnebergensis dignissimus, Poeta Coronatus.

Sed quid tandem abrumpo? Inter bonos bene! & in bona causa tria verba sufficiunt: Attamen in gratiam fautorum & amicorum calamus sicut nonnulli liberalior. Offero igitur descriptionem hanc meam Jubiléi Saxo-Coburgici historico-poeticam demissâ affectione Vobis, Patroni fautores, & amici venerandi.



randi, strenuo loco. Valet & vivite omnes & singuli, Dnn. Consules, Pro-  
Consules, Syndici & Senatores colendi: vivite hisce conelamatis & bellicis  
temporibus, vivite pacate cum vestris civibus: Habebitis DEUM potentissimum,  
& quicquid curæ vel laboris impenderitis, remuneratorem lar-  
gissimum. Valet. in Domino.

Nunc

*Ite mea, ad Proceres Poliarchas, jubila: abite,*

*Pulsatis foribus dicite pauca: VIRI*

*(Ut rude sit metrum; non est metuenda repulsa:*

*Non nisi vera canit, nec nisi sacra canit.)*

*Accipitote graves, peperit quem musula, foetum.*

*ESCHBACH: & Patri corde favete. Sat est.*

Dabam Coburgi d 6. Decembr. D. Nicolao sacrâ,  
anno Christi 1630. quo ingemiscit Ecclesia: O bo-  
ne IESV, DVpLatl sVnt Lateres, ah Venlat breVI  
Molles.

V. V.

*Amplit. Prudent. & Spectab. observantiss.*

*Addictiss. & in Christo devotiss.*

M. PHILIPPUS Eschenbach Co-  
burg. in patria Diaconus.

Sequuntur



Sequuntur  
*CARMINA NONNULLA*  
*gratulatoria & jubileæ.*

I.

IN JUBILEUM SAXONICUM.

**J**ubila Saxonici vates celebravimus, ut sint  
Jubila certa piis, jubila nulla Papæ.  
Jubila Saxonici in cœlis celebrabimus, ut sint  
Nubila densa Papæ, jubila sancta piis.

*Casp. Finckius D. Gen. Superint.*

II.

**E**xscribenda typis, dum tradis, Docte Magister,  
Carmina, quæ referunt, quam ratione Coburgæ  
Nostra celebrârit, sacra Jubila, Jubila Festi,  
Elapsos jam num quinquaginta bis ob annos.  
Saxoniæ cum Dux pius, Electorq; Johannes  
Obtulit Augusta (Magno frendente Dracone)  
Imperij Carolo Quinto Regi Capitiq;  
Articulos fidei, in Templisq; Scholisq; sonantes  
Saxonice stirpis, divini ex dogmate Verbi  
Deductos solo, morte in vitaq; tenendos.

Rem magnam præstas, & dignam laude perenni,  
Laudibus aternis consecras Facta Johannis  
Principis, ac zelum populi, de nomine Magni  
Lutheri, fidei qui gaudet nomen habere.  
Extimulas pariter nostros (si fortè futuri)  
Natorum natos, Mundi post secula bina,

*Vt simili*



*Ut simili nostra, Festum hoc, pietate celebrent,  
Jubila, quò in cælis omnes aeterna canamus,  
Quod tribuas nobis, per Christum, summe Jehovah.*

Nicolaus Hugo D. Concionator aulicus.

III.

*Viro Reverendo,*

Clariss. & Doctiss. Dn. M. Philippo Eschenbachio, Ecclesiæ  
Coburgensis Diacono, Amico meo, ut veteri,  
ita colendo ::

**S**æpius optavi, foret ut concordia in uno  
Christiadum cœtu, quam Deus ipse probat,  
Sed quia dissidium fidei implacabile duri  
Constituunt homines, & malè sana cohors  
Horum, qui nimiam Papam reverentiã adorant,  
Qui tamen erroris conscius esse potest,  
Nos rectè facimus, dum sacri dogmate verbi  
Munimus nostram, protegimusq; fidem,  
Proferat ut linguæ plectrum, quod creditur intus,  
Diversum statuens ne videaris homo.  
Jubilat inde piè nostris Ecclesiæ in oris,  
Publica dum fidei symbola voce sonat.  
Decertare scholas, & templa laboribus istis,  
Vidimus haud unò, res memoranda, die.  
Multùm fecerunt multi, tu, Clare Magister,  
Uno multorum carmine facta canis.  
Sic quæ debetur meritò pia gratia multis,  
Gratia debetur non minùs ista tibi.

*Johann. Jacob. Draco, D. Consiliar.*

*& Ordinari Saxo-Coburg.*

)\* ( 2:

*Jubila*



IV.  
**J**ubila siderijs longè dignissima cælis  
Dum celebras versu, Vir Reverende tuus  
Hoc agis athereas post ultima funera sedes  
Ut sanctas pia mens possit adire domos.

Principium felix, quia prospera clausula cæli est,  
O quàm speratus tunc tibi finis erit.

Johannes Mattheus Meyfartus D.

V.  
Viro Reverendâ dignitate, eximiâ veræ pietatis ac eruditionis laude  
Clarissimo,

**Dn. M. PHILIPPO Eschenbach!** Ecclesia patriæ Diacono  
meritissimo, Dn. & amico suo plurimum honorando & amando,  
Festum Augustanæ Confessionis Jubilæum venâ Poeticâ concelebranti, hisce  
brevibus ac extemporaneis, bono animo gratulabundus  
applaudit.

**S**ancta Lutherani quod cantas jubila festi,  
Eschenbachi, ô patrij magne Prophetæ soli:  
Augustos fidei puræ tuæ vena per orbem  
Quod Confessores splendida concelebrat;  
Rem facis officio dignam, quam gloria CHRISTI,  
Et tuæ quam virtus, venâq; sacra jubet.  
Perge: Procellosis Ecclesia fluctuet undis,  
Archonauta tamen Christus in hac vigilat.  
Inflammet pelagus Papa, Cerberus ipse minetur  
Exilium, extremum fulminet exitium.  
Fulminet, excruciet, perimat, comburat, inundes  
Augustos sanæ Christicolæ fidei;  
Stant invicta tamen divini Numina verbi,  
Queis immota manet cymbula sancta DEI.

Valentinus Rumpelius, Philos. & Med. D. Aulæ Saxo Coburg.

Med. die 30. Novembr. Anno, quo

VIVIT DOMINVS noster IESVS CHRISTVS.

Quod



**Q**uod, perdocte, piis **ESCHENBACHERE**, celebras  
 Carminibus sacra dona **DEI**, sacra munera, nostri;  
 Munera, nempe sui purissima dogmata Verbi  
 Saxonibus præ aliis olim data, jamq; per annos  
 Centum conservata, licet fremat orbis & orcus:  
 Quippe ministerio divi prolata Lutheri.  
 O factum hoc ardens, condignum laude perenni  
 Omnes, Augustana quibus Confessio cordi est,  
 Quidni pectore & ore, & tota mente sequemur?  
 Grati, jova, tibi, ter Maxime & Optime semper  
 Dicamus laudes, & júbila justa canamus,  
 Atq; ita Præconum nostrorum vota sequamur.;  
 Vota piis precibus jungentes júbila votis:  
 Ut Deus & seræ hæc condonet posteritati,  
 Quo tandem salvi **JOVAM** celebremus in ævum.

Anno CHRISTI 1630.

**ECCLESIA LUTHERANA CELEBRAT AUGUSTANÆ CON-**  
**FESSIONIS JUBILEVM.**

**ANNVS EN EST JUBILEVS DICIONIS LUTHERANORVM.**

**DİŞ İAHR İST DAS İVBEİFEST DER LUTHERANER**

**VVEGEN İHRES BEKENNTNIŞİ.**

**Michael Schön D. Medicus aulicus Cob.**

Viro Reverendo & Clarissimo,

**Dn. M. PHILIPPO ESCHENBACHIO**, Ecclesie Co-  
 burgensis Diacono, seculum Lutheranorum alterum piè  
 & doctè celebranti.

**ET PHILIPPE**, tu, verende, seculum canis novum,  
 Lutheranum, carmine heroo, atq; docto carmine?  
 Seculum illud, quo Dynasta maximi orbis, Saxones,  
 Imperatori obtulere, Augusta in urbe, pectore

)\*( 3 Candiod



Candido, Confessionem, menteq; imperterrita,  
Tertius, quam ex ore patris Maximi, Elias habet?

Rem facis dignam profecto & laudibus dignam meris,  
Quamq; docti, quamq; si nostri pii sunt, efferent  
Ad polum usq;, & accinent illud Tibi, FELICITER:  
Et pium factum pii viri probabunt perpetuum.  
Laus erit donec JEHOVAE, Mercuriūq; adorea,  
Flos erit donec Camena, Gratiaq; autumnitas.

ita festinanter ex animo tamen gratulabar  
cognato & confessionario meo

Georg Mundius Jctus C. P. Cæs. Illustris.  
Saxon. Ducis C. &c.

VIII.

O faustum seclum, quo Lux Divina refulsit  
Verbi, olim tenebris obruta, Cimmeriis!  
Lucem hanc, quæ multis precibus gemituq; piorum,  
Exoptata diu, Saxonis ora videt.  
Ut quæ per Divum Witebergæ accensa Lutherum,  
Mox jubar Augustam sparsit ad usq; suum:  
Hinc verè, radiat fidei Confessio nostræ  
Augustana, suam sumit & inde basin.  
O iterum faustum seclum, quot & obtigit oris  
Nostris! O gratâ mente colenda DIES!  
Consultata quidem Regum tacuisse decebit,  
Non ita facta DEI, sed celebranda palam.  
Nuper ob id nostrum Jublaum jure secutum,  
Zelus id, & pietas, poscit Honorq; DEI.  
Compater ergo mihi chare, ac Collega verende,  
Proposirum laudo, laudo proboq; tuum.

Ordi



Ordine conscripsti *Solennia* nostra decenti,  
Dicta q̄; de cathedra, jam relegenda dabis:  
Pro quo *posteritas* dicet tibi grata, labore,  
Propositum, repeto, laudo, probo q̄; tuum.

Georgius Pfrüscherus Coburg, Ecclesie. Patrie  
Diac.

IX.

**Q**uid tum, si Satanas fremit, & si ringitur orbis,  
Ilia si rumpit Papa, lues scelerum:

Illuxit tamen *ILLA* dies, quã *IVBILA* cœtus  
Cantat Sanctorum, juba Sancta *DEO*.

Lux etenim verbi nostris illuxit in oris,

Lux *AVGVSTA DEI*, qua fugat omne malum,

Apoc. 9. Lux, quã pestifera pelluntur sede locustæ

Nostrã, ne nostras post abedant segetes;

Apo. 7. 12 *SANCTA TRIAS*, *TIBI* laus & honor, *TIBI* gloria virtus,

*TV* lucem extingui hanc ne patiare tuam.

Jubila sic meritò cantas, Collega Verende,

Teutonico illa prius, nunc latio ore sonas.

Jubila grata *DEO*, fluitantia juba versu

Nectis, ut in *IOVAM* gratus utrinquè sies.

Ast Ego, quid plausus, quid, tristis, juba dico!

Planctus, singultus mens mea tota sonat!

Lugeo, lamentor, tristeis eructo querellas:

Cordis denata est portio namq; mei!

Ezech. 24 *Vxore* orbatu! *charu* orbatu ocellu!

Tristu oberro domi! stat viduata domus!

Solaq; ne *CRVX* sit, mala febris corpus adurit

Ecce meum, ut titubet pesq; manusq; mea!

Quã vellem populis jam me conjungere festu,

Vocibus & faustis concelebrare *DEVM*!

)\*( 4

Ad



At trepida retinent me, in mortis valle, tenebrae  
Nec LOVÆ templi limina adire sinunt.  
At mediâ, trepidas, in mortis valle, tenebras  
Dissipat, exultans TVRBASACRATADEO.  
Ergo SANCTA TRIAS, TIBI LVAS, TIBI GLORIA,  
VIRTVS,  
Jubilet æternùm, Gens TVA, SANCTA TRIAS.

Ita in luctu meo meditabar  
Melchior Weiglerus Hilperhusanus  
Eccl. Coburg. Diac. ad 3. ✠  
Viduus.

X.  
Quid tibi mentis erat, Romanæ Paule Cathedræ  
Præsul? quòd pignus te Diadema tuum,  
Ponere dicebas; Lutheri dogma bimestri  
In spacio prorsus nî pereundo cadat.  
Nempè tibi cauta spondebas mente; Cadente  
Victurum, illius dogmate, dogma tuum,  
Papa memor voti, triplicem depone Tiaram,  
Nam vox Lutheri vivida vivit adhuc!  
Vivit adhuc invicta inter cædesq; dolosq;  
A grege queis frustra sæpè petita tuo est.  
Heu quoties sævosq; rogos, ensesq; furentes,  
Bella, rotas, laqueos, fulmina & exilia,  
Crudeli Christi minitatus es ore catervæ!  
Exitium heu illi quàm propè sæpè fuit!  
Illa tamen sine vi, sine milite, nuda & inermis,  
Tuta fuit solo Christe favore tuo.  
Quinimò ante annos, doctrinæ semina, centum,  
Coràm magnamibo Cæsare & Imperio  
Edidit Augusta, vultu imperterrita, quamvis  
Vix quinq; in lucem tum prodière Duces.

Ex



Ex illo Augustana die Confessio, semper  
Augusta, Augustâ iussa virere comâ est,  
Jurataq; alma, nullo non tempore, pace  
Imperii, Christo sic moderante, frui.  
Hæc benefacta animo recolens Ecclesia Christi,  
Tarpejo tandem libera facta jugo,  
Nunc servatori meritaram munera laudum  
Solvit, & in templis juba ubiq; canit.  
Votaq; pro fera, prece supplice, posteritate  
Fundit, ut his etiam gaudeat illa bonis.  
Attu præco Dei, Christo dilecte, Philippe,  
Qui merito clarum nomen honore geris,  
Solenne Aönio describis carmine festum,  
Versibus includens publica vota tuis.  
Maçte! laboris erit Christus largissima merces,  
Optabuntq; tibi prospera fata B O N I.

Christianus Cheselius Fulbacens. Pastor.

XI.

Efluxit seculum nunc, quo doctrina Lutheri,  
Fontibus è sacris hausta labore dilis,  
Augustæ optatos progressus capit habere  
Imperii in sancto Concilio procerum.  
Non fremitu Papæ, vi non obstante LEONIS  
Tunc decimi, insidiis non Sathanaeq; dolis.  
Quid cause? verbo Domini quia nulla tyrannis  
Papæ vel Sathana, visque nocere potest.  
Tanta Dei benefacta piis Ecclesia votis,  
Que semper minimum servat in orbe locum,  
Concelebravit ab hinc per paucis mensibus, atque  
Perpetuâ cecinit nomina laude DEI.

) 4 ( 5

Ordine



Ordine at in templo quo cuncta fuisse peracta, &  
Quo ritu graviter, Vir Reverende, satis  
Carminē narraſti nuper, praſente virorum  
Agmine doctorum, Gymnaſij è cathedra.  
Conatum magni facio, & commendo laborem,  
Exprimit ingenium, non ſine laude, tuum.  
Ingenij factum hunc omnis mirabitur aetas,  
Et ſtudium meritò tolles ad aſtra tuum.

πρῆς καὶ φιλικῶς ἕνεκα cæteris,  
adjicieb.

M. Andreas Frommann/in illuſtri Athenæo  
Coburg. Philoſ. moral. Profeſſ. & Pædagogiarcha,

XII.

Jubila dum celebrata Deo inq; choro, inq; Lycæo,  
noſtro depingis carmine ritè pio.  
ESCHNBACHERE, facis rem gratam poſteritati  
noſtræ; vir cunctis charus erisq; bonis.

ἰ. m. ἡ. ἀνταχέδ.

Joannes Spindlerus, in incluto Collegio Caſi-  
miriano Logices Profeſſor Publicus, ac Convictorij  
Inſpector.

XIII.

Jubila ſanctè, jubila doctè, jubila lætè;  
NUMINIS in meritas pandens quæ carmine laudes,  
Solenni, in patriam motu pietate, vigentem  
Relligione, dahas, Patria Reverende Sacerdos;  
Omnibus, ecce, probis pateant, teſtentur & ultro:  
NOSTRÆ ECCLESIOLÆ (licèt arctæ, ac æq; periculis)  
Nuſquam compressis timidè ora quieſcere lingvis,  
Tempore ſed cunctò præconia dogmatis alma.

Sinceri,



Sinceri, veri, multoq̄, cruore probati,  
 Non tepidâ, trepidâ, tot *JUBILA* promere, Musâ.  
*Punctum* est omne, reor, *Vates* venerande, tulisti,  
 Dum brevitare citâ, ore ruens, sed & arte profundâ  
*Rem* cecinit cunctam tua *Clio* sacrata peractam,  
 Ceu decet, in *Templis* *NOSTRIS*, gestamq̄, *Lycæis*:  
 En bis septenis labor, ordine, namq̄, diebus  
*Ritè* habitus, *TIBI* pressè unâ narratur in hora!  
 Euge *LUTHERANÆ* Fidei prosapia *VIVE*!  
 Ora irâ tumeant, nigrescant sanguine vena  
*Paparum*, & spumans *BULLARUM* ebulliat unda:  
 Ater & omnis atrox *IGNATIUS* ardeat igne,  
 Totaq̄, vel furiat *Gens* rafa & pestilis ordo,  
 Qui non erubuit mentiri nomen *Iesu*;  
 Jubila sanctè, jubila latè, jubila ritè  
*Pandimus* intereâ, sancto duce *Flamine* digna!  
 Donec in *athereis* salvati jubila *templis*  
*Angelicisq̄*, *scholis*, *eternâ* laude sonoris  
*SANCTUS*, *SANCTUS*, *SANCTUS*, amoris honore canemus:  
 Qua Te, quave *Tuos*, *Vir* sancte, salute secundes  
 Qui *NOBIS*, *NOSTRIS*, tot *JUBILA* *SANCTA* paravit.  
 EUGE *LUTHERANÆ* FIDEI PROSAPIA VIVE!

Suo à Confessionibus Patrono, ætatem colendo,  
 reverenter amando, properant. accinit  
 l.m. q̄;

*M. Mich. Ludovici Cob. Fr. in illustr. Casim. patrio*  
*Collegio Orat. Profess. & Alumn. Insp.*

XIV.

O Rbi quùm toti *LUTHERI* dogma refulsit,  
 Ad *CHRISTUM* ducens laude, volente *DEO*.  
 AVGVSTÆ



AVGVSTÆ PATVIT FIDELI Confessio pVræ: 1530.

ConClo sic Christi grata brabela DabIt.

Jussit ut Edictum Carolô sub Cæsare Quinto,

Linguis hinc varijs littera picta fuit.

Annos per centum quam Doctrinam DEUS almus

Contra prorexit scommata prava Papæ!

Istam Doctrinam primô defendit ab ævô:

Hanc conservabit; nec ruer ullus apex.

Hanc rutavit adhuc: Hinc fas est solvere grates,

Et toto laudes corde sonare, DEO.

CLarè LVX IVNI LVXIT VICESIMA qVinta; 25. Jun. An.

En EVangeLII tVnCI VbILÆVs oVat. 1630.

Iste Dies gratô bene sanctificatVr In orbe; 1630.

HIC IVbILÆVs aDest: IVbILa Chara Cane.

Grates quisq; DEO referat pro munere lætas,

Lætus, si cupiat, vivat ut ante DEUM.

Quas, facis hinc justè, recitas, Reverende MAGISTER,

Carmine dum laudes, Hic Jubilæus habet.

Sic tua laus stabit, nunquam peritura per ævum:

Sic tibi quin Charites florida ferta ferent.

Honoris & Amoris ergò conscribèb:  
*Johannes Hoffer Coburg.*

**FINIS CARMINUM.**

**NUNCI**

**Incipit res ipsa: Et quidem ca-**

put rei habet Gravissimorum Dnn. Scholarcharum

pro concessa perorandi licentia publicè affixum pro-

gramma: deinde ipsa Oratio Jubilæa habita

ponitur.

D. O. M. A.

*Omnia*



OMNIUM Dnm. SCHOLARCHARUM  
& suo nomine

CASPARUS  
FINCKIUS, D.  
SUPERINT. GEN.

*Viris in urbe literatis ac honoratis, salutem cordicitus  
precatur millecuplam.*

**F**estum Jubiläum, quod Saxones auspice ter  
sancto, ter inclyto, ter Optimo Jehovâ ce-  
lebravimus, non fuit festum invidiæ, con-  
temptus, superbiæ; non traductionis, vellicationis,  
ostentationis, provocationis, insultationis, (quæ vitia  
ab omnibus piè cordatis abesse debent longissimè) sed  
Festum fuit gratitudinis erga DEUM, erga Augustissi-  
mos, Cæsarem ac Regem, Carolum V. ejusq; Majesta-  
tis Fratrem Ferdinandum, Augustanæ Confessionis  
acceptatores Clementissimos; erga Illustrissimos ac  
Serenissimos, Electorem, Principes, ac reliquos exhi-  
bitores animosissimos. Festum fuit gratæ recordatio-  
nis eorum, quæ per dexteram Excelsi, præterlapso se-  
culo, patrata sunt: Memores enim fuimus mandati di-

A

vini



vini Deut. 6. v. 6. & cap. 11. v. 18. 19. Ponite hæc verba  
in cordibus & animis vestris, & inter oculos vestros  
collocate. Docete filios vestros ad loquendum in eis,  
quando sederis in domo tuâ, & ambulaveris in viâ  
& accubueris, atq; surrexeris. Scribes ea super po-  
stes domus tuæ, & in portis tuis, &c. Festum fuit  
pœnitentiæ, in quo seriò doluimus ob peccata com-  
missa & omissa. Pœnitentia enim, ut cum Tertul-  
liano loquamur, pretium est, quo Dominus veniam  
addicere instituit. Festum fuit patientiæ, in quo au-  
ditores è suggesto & cathedrâ moniti sunt, ut adver-  
sariorum ac hæreticorum, qualium qualium minas,  
odia, sannas, insidias, invidias, affanias, insanias, in-  
eptias, inertias, fastus, astus, æstus, quæstus, ne tan-  
tillum quidem curent, sed pensi faciant hoc Christi,  
Matth: 5. vers. 12. Beati estis, cum maledixerint vo-  
bis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne ma-  
lum adversum vos mentientes propter me. Gau-  
dete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est  
in coelis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui  
fuerunt ante vos. Et istud Pauli 2. Cor. 6. v. 4. & seqq.  
In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut D E I  
ministros; in multâ patientiâ, in tribulationibus,  
in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus,  
in se-



in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs,  
in castitate, in scientiâ, in longanimitate, in benigni-  
tate, in Spiritu sancto, in caritate non fictâ, in ver-  
bo veritatis, in virtute DEI, per arma justitiæ à dex-  
teris & à sinistris, per gloriam & ignominiam, per  
infamiam & bonam famam, ut seductores, & vera-  
ces, sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes, &  
ecce vivimus; ut castigati & non mortificati, quasi  
tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, mul-  
tos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, &  
omnia possidentes. Festum fuit rogationis & oratio-  
nis: supplices enim facti sumus DEO, ut agnitam ve-  
ritatem ad seros postgenitos, ad natos natorum, &  
qui nascentur ab illis, propaget, & contra omnia Sa-  
tanæ molimina defendat, conservet. Festum fuit lau-  
dationis: Auribus enim nostris insonuit illud Eccle-  
siastici cap. 44. v. 1. Laudemus Viros gloriosos, &  
parentes nostros in generatione suâ. Multam glori-  
am fecit Dominus magnificentiâ suâ à seculo. Festum  
deniq; fuit bonæ spei, fore nimirum tempus, in quo  
convertat Dominus captivitatem nostram, ut semi-  
nantes in lacrumis tandem cum jubilatione metant,  
ut euntes & flentes portent preciosum semen, ut ve-  
nientes veniant cum exultatione portantes manipu-  
los suos.



Atq; hæc omnia in rei veritate ita sese habere, Oratione metrica, eaq; luculentâ, eruditâ & per-elegante, proximo die Mercurij, qui incidet in octavum Septembris, post conclusum Examen, ho-ris à primâ pomeridianis, nostro præscitu & indul-tu, ostendet Vir Reverendus, Præstantissimus ac doctissimus, Dn. M. PHILIPPUS Eschenbach, Ecclesiæ hujus Diaconus fidelissimus, amicus, ac respectivè in Christo frater noster dilectissimus.

Tali igitur Viro, aliàs etiam omnium bono-rum favore digno, & Gymnasij Illustris ante non ita multos annos Professori laboriosissimo, ut Viri in urbe literati ac honorati vacivas aures præbeant, amanter rogamus; studiosos verò Adolescentes, eâ quâ pollemus auctoritate, seriò jubemus. P. P. die V. Septembris, Anno 1630.



D. O.



D. O. M. A.

**P**laudite Musarum pulli, mystæq;  
sacrati

Plaudite, Saxonice gens subdita plaudite Dynastis,  
Quotquot & Articulos calamô-corde-ore professi  
Olim Augustanos, ad nostra hæc tempora nati  
Plaudite, plaudite, plaudite, plaudite, plaudite, quotquot  
Odisti Papam, Lojolicamq; cohortem!

Plaudite Christicola, Christi de nomine dicti.  
Ecquid enim? surgit Moses, fremat orbis & orcus,  
Vel tandem Moses. Lateres duplantur iniquè.  
Enumeret quis enim duplo sub pondere factos?

Moses ille licet tardè venisse putetur;  
Attamen ille venit: venit opportuna capeffens.

Electo Saxo secum præponderat omnem,  
Rem per avos atavosq; sacram duce Numine gestam,  
Et si quos reliquos Augustæ rexit lœva,  
Nempe manet fibræ imis animiq; medullis  
Judicium proavi spretiq; illusio Papæ.

Ponderat Elector Saxo JAN-GÖRGIUS Heros  
Secum; ad Lipsiacas mox convocat ordine Musas  
Theologum electam pro tempore & arte coronam  
Convocat, & visus sic fari & promere sensa:

Consultote viri, quos Enthous occupat ardor  
Religionis: Evax! stat, stat sententia mentis  
Jubila festa Deo votis precibusq; litare.

En! Centum vicibus modò claudit circulus annum,

A 3

210

Exordium

Der Sachsen  
berufft etliche  
theologos gen  
Leipzig / wegen  
des Jubelfestes  
zu rahschlas  
gen / an den 9.  
Aprilis allda  
zu erscheinen /  
anno 1630.



Dem Doct.  
Hoc Chur S.  
Ober Hofpres  
diger trege  
Ihre Churf.  
Durchl. auff  
bey versamlung  
der beschriebes  
nen Geistlichen  
das directori-  
um zu fñhren.

Quo multi Heroës illustri stemmate nati  
(quos inter JANNES Saxo non ultimus) urbem  
Augustam ingressi, Carolo de nomine quinto  
Exhibuere fidei calamo-corde-ore notatam  
Magnanimi, invicti, quin sacro codice fulti,  
Consulite in medium jussi, duce & auspice Christo,  
Tu, mihi qui praco verbi primarius audis,  
Dirige res, HOB, tantas; nec deerit alter.  
Scilicet omne Dei est opus hoc: Hic corda potentum  
Flectit ad omne bonum: solet hic ita flectere sensus.  
Non secus ac rugiens leo differt sapius iram  
Spelunca adductus: patitur transire per illam  
Et vulpem astutam, & vestigia mira ferarum  
Atq; lupi atq; ursi atq; canis mordacis, ad horas  
Suffert seu patiens seu tempora commoda captans.  
Si lupus interea, vulpes, ursusve canisve  
Intentent forsã caudam mordere leonis,  
Robur ubi, in summam patientia vertitur iram,  
Cuncta ferit, sternit, nec parcit nobilis ira  
Vlli ac supplicibus: sunt cetera preda leonis:  
Ensiser ille facit Saxo de stemmate Rutæ,  
Et sic jure suo regnis successit avitis.  
Hactenus obtulit multis mirantibus ausa,  
Ausã insueta & iniqua ausã, omnimodã sine causã  
Ausã Papæ & monstri, peperit quod Lojola, terri.  
Nunc ubi Saxo jubet pia júbila promere festa,  
Sic Evangelicis visus mihi farisar Heros:  
Sat Papæ indultum est: sat Jesu wütica pestis  
Grassata est: satis est regioni & religioni  
Intetulisse venena, arma: heu! patientia lasa

Vel



Vel tandem pariat concessum jure furorem!  
Sat patimur sua quisq; bona heu lapidata! quid? ab quid!  
Nil sint divitiae, nil tot vastataq; regna,  
Nil loculi exhausti, nil fruges vinaq; sumpta,  
Vilia non dico, generosa, heu! perdita vina.  
Nil sint sarcasmi jacti à vel milite nauci,  
Milite sub sè non latuit Jesuidica proles.  
Sunt majora sub his. Memoro. Germania lugens  
Tot tot conqueritur viduas viduosq; dolentes,  
Tot tot conqueritur madefactos sanguine muros,  
Tot tot conqueritur stupra, heu Sodomitica stupra,  
Tot tot conqueritur pueris data scandala nostris,  
Tot tot conqueritur gemitus pro sanguine fusos,  
Tot tot conqueritur planctus cum sanguine missos,  
Tot tot conqueritur lacrymas sub sanguine trusas,  
Tot tot conqueritur privata, heu! lumine templa,  
Tot tot conqueritur privata & lumine corda.  
Hoccine salvari est bona per Papalia facta?  
Hoccine fecisse est bene? scala haec estne Jacobi?  
Turca, latro, nebulo, Sodomita & furcifer, omnes  
Ad volitate Esauitas. Hic itur ad astra.  
Quid nos interea? Clamemus Ad Arma. da-Larma?  
Non sic. Arma juvent alios: nos vota precesq;  
Sed quid? Consultum est. Re salvâ jubila festa  
Intonuere omnes, data queis fuit alma potestas.  
Ordo & nos tetigit, : decuerunt jubila jussos.  
Alea jacta fuit. Cecinit quoq; clara Coburga  
Compita per passim. Zelô pius omnis inarsit.  
Mireris, quàm cuncta piè, quanto ordine cuncta  
In templisq; , scholisq; , domoq; , aulaq; , Jehovâ  
Omnia



Propositio:  
Wie das Jus  
bellest zu Co-  
burg in allen  
Kirchen vnd F.  
Collegio, auch  
sonsten in der  
Stade vmb-  
stendiglich ges-  
halten worden  
sey.

Confirmatio.

Ein gemein  
Gericht ers-  
schallet zu Co-  
burg / vom Jus  
bellest.

Chur Sachsen  
ihut ein Schreib-  
ben an vnsern  
Gn. F. vnd H.  
wegen des Jus  
bellestes.

Unser Gn. F.  
vnd H. wil so  
viel möglich /  
dem Chur-  
Sachsen das  
Fest gleichfor-  
mig halten.

D. 16. Junij  
zeiget H. Gene-

*Omnia plena: sacro cultu quoq; singula plena.*

*Est animus, Proceres, festum depingere nostrum,  
SaxoCoburgiacum, & quo quivis munere functus  
Ordinis atq; status habitâ ratione sit. Ergò  
O magni Proceres, veniam date versibus, oro.  
Non tantos animos fero, nec sub pectore tantas  
Concepi vires, nec tantos posco cothurnos,  
Vestra quibus magnus finxit praecordia Phœbus.  
Conatum laudate pium: mihi vena negata est  
Haecenus, ut cathedrâ hac ad limina sacra vocatus  
Secessi. O JESU, duc mentem, dirige linguam,  
Vos ô vos omnes animis linguisq; favete.*

*Principiô vaga fama volat per mœnia nostra:  
Jubila, jubila, jubila, jubila, jubila festa!  
Ast quia sapè bonum fama est mentita per orbem,  
Quæsitum hinc inde est. Nec enim mens nostra quiescit,  
Si quid perlatum est aures ad, scire peroptans.  
Tandem fama studens veri, verissima narrat:  
Ecce etenim vidisse placet, quas Dresdidos Heros  
Litterulas proprii notula sub nominis actas  
Ad Jan. Casmirum tacito sub pectore lectas  
Exararat ovans zelo pietatis adactus.  
Non mora. Casmirus consentit in omnia sanctè.  
Sic nempe harmonicis animis duo germina Rutæ  
Omnipotens rexit, regum qui pectora flexit.  
O nimium dilectè DEO, tibi jubilat ather,  
Et conjurati veniunt ad jubila cives.  
FURNIUS octo bis Soles non clauserat orbi,  
Finckius en noster Generalis Episcopus in fit,  
In fit, at & sacrâ nos ad devotus in ade:*

Collega



COLLEGÆ electi, dilecti, attendite prompti,  
 Jussa sequi. Ecce Ducis! Ducis ecce sigilla verenda!  
 Arrigitote aures, & verba recondite mente,  
 Attenti adstantus, vix tale & tale putantes.  
 Praelegitur diploma Ducis: Bene verba notantur.  
 Optatum latè mandatums ad júbila nostra  
 Percipitur: subjecta damus mox jussibus ora.  
 Ora quid? & dedimus jussu promptissima corda.  
 Corda quid? & dedimus jussu calidissima vota.  
 Interea vigilat Princeps Casimirus ad omne,  
 Quod divina sapit, cavet & ne turpe quid obstat  
 Tantis festivis. Vulgantur scripta per urbes  
 Et pagos, celeri cursu, quæ nunciis offert.  
 Aurea scripta putem. Sapiunt Paulina, Petrina,  
 Singula. Non nobis figmenta humana probantur.  
 Norma placet verbi. Nec & Augustana placeret  
 A seculo firmata fides, nisi constet ad unguem  
 Verbi cum norma, docuit quod Christus Iesus.  
 Aurea scripta putem. CASIMIRE ô inlyte Prin-  
 Omnia perpendis benefacta in lumine scripti, (ceps,  
 Saxonice stirpi collata à Numine divo.  
 Aurea scripta putem, sacrisq; notanda lapillis.  
 Cantica sunt, textus, sunt articuliq; notati,  
 Suntq; preces calidæ fundenda ad verba notata.  
 Et bene. Nam reges etiam summosq; Monarchas  
 Vera decet pietas, verbi & reverentia sacri.  
 Ad rem sed propius. Bis denos Junius orbi  
 Exhibuit soles, : scandit sacra rostra verendo,  
 Qui superintendit, fringillæ nomine clarus,  
 Dixeras ad tempus prescripto lumine Christi:

B

Emuli

ralis Superin-  
 tendens dem  
 Ministerio  
 durch ein vorge-  
 lesenes Fürstl.  
 Mandat das  
 Jubelfest an.  
 Das ministe-  
 rium erkläret  
 sich unterthä-  
 nig mit freu-  
 den das Jubels-  
 fest zu halten.

Fürstl. instrü-  
 ction wird wes-  
 gen des Jubels-  
 festes gedruckt  
 und hin und wi-  
 der ins Land  
 geschickt.

Inhalt Fürstl.  
 licher instrü-  
 ction.

Die 20. Junij,  
 Domin. 4. post  
 Trin. verhörs-  
 digt der H. Su-  
 pintendens das  
 Jubelfest auff  
 offener Sangel



*Amuli ad exemplum Patris miserescite ducti.*  
*Finit, & altisonis indicit festa loquelis,*  
*Atq; ad praescriptum Casimiri singula monstrat,*  
*Indixit gravitate vir, & pietate virago:*  
*Hoc agitote viri, qui Christi nomen amatis,*  
*Hoc agitote omnes, qui JAN-Casimiria sceptras*  
*Diligitis subjecti, addietis Saxonis oris.*  
*Triduum habete sacrum: sacra sint soleña trina!*  
*Sic vult, sicq; jubes divina & sancta voluntas.*  
*Sic vult sicq; jubes sine non ratione voluntas*  
*Rutæ Saxonica, qua sub gravis Ensifer Heros*  
*Primum salvifica fidei caput extulit orbi,*  
*Sicut pra reliquis inter viburna cupressus,*  
*Conjuxit votum voto precibusq; precesq;*  
*JAN-cum-Casmiro, seniore in corpore sacri*  
*Imperii, qui festa simul votiva peracta*  
*Percupit, instituens calidis dare pectora votis.*  
*Triduum habete sacrum: sacra sint soleña trina!*  
*Luce sacrâ hac requiescat humus, requiescat arator:*  
*Heluo, lurco, bibo, quinquercio, gesticulator,*  
*Morio, nugator, gnatho, Sycophanta, profani*  
*Este procul cuncti. Mandat Casimirius ardor*  
*Erga Evangelicum Augustum. Spectacula faceffant*  
*Ad tempus: ludi, trochus, alea, charta, fritillus,*  
*Absint, longè absint: sit clausa popina Acolasto.*  
*Grex pius ora tenens arrectis auribus adstat,*  
*Jussa secuturus tacitè canit AMEN & AMEN!*  
*Fiat! jo fiat Christi divina voluntas!*  
*Fiat! jo fiat Casimiri justa voluntas!*  
*Fiat! jo fiat tua, Fincki, sancta voluntas!*

*Fiat!*

Die Untere  
 ebene und  
 Pfarrkinder  
 sind willig und  
 fremdig das  
 Jubelfest zu  
 halten.



*Fiat! jo fiat nostra obsequiosa voluntas!*

*Temporis interea studiis se quilibet optat  
Mystarum, cultus sacri quos cura fatigat.  
Nocturnâ versata manu, versata diurnâ  
Biblia sacra: Tomos Megalandrivolvimus. Acta  
Vidimus Augustana, & vera, notata, probata.  
Instant festa. DEI populus se mancipat omnis  
Cultibus, & sacris dat mentes, corpora, tempus.  
Proxima Baptistæ produxit signa Bootes,  
Ostenditq; horam mediam remeabilis umbra  
Solis Jannitici. En! fecit campana laboris  
Indicium trinum: Sonitu perfecit in urbe  
Pomposo, semper glomerato murmure Bom Bom,  
Eia decet talem Dominum, qui Jova triunus,  
Festum tale. Decet nostris parere Dynastis.*

*Sol punctum absolvit, data lassa & membra quieti,  
Mox optata novo lux en processit Eoo;  
Junius, ut Soles viginti & quinq; notavit,  
Tu Studiosa cohors mihi dilectissima, Musis  
Addicta, & ludi pubes dexterrima docti,  
Laudibus in primis mihi stas. Tibi nomina laudis  
Debentur prima: Phæi: hon vix curribus apreat  
Solarem aurigam; speculas scandisse superbas  
Audimus Phæbi pullos dulci ore canentes.  
Crediderim, nec vana fides, genus esse Jehova  
Auditum è speculis. Sunt mota & viscera si queis  
Cor non dura filex fuit aut Marpesia cantes.  
Pergitur ad festum properanti tramite: Cessat  
Musica, & auditur sonitus compositus, & aptè  
De turri trinus complens urbem, aëra, Cælo*

B 2

Vix

Das ministe-  
rium studiret  
auff das Zus-  
belfest.

Anfang zur ers-  
ten Jubel Vesi-  
per wird ges-  
macht am Tag  
S. Johannis  
den 24. Junij.

Der erste Zus-  
bel Tag bricht  
an.

Die Studen-  
ten machen mit  
musiciren auff  
den Kirch, und  
Collegē Eburn/  
zum allerfrü-  
esten den Ans-  
fang zum Zus-  
belfest.

Frühe Mess des  
ersten Jubel-  
tags um 5.  
Uhr.



M. Dillig. Can-  
tor kan wegen  
des Quartans  
fiebers mit sin-  
gen das Jubel,  
fest nit halten.

Georg Seifrid  
Succentor vnd  
vicarius singt.

Gesang in der  
ersten Frähs  
predigt / ist:  
Erhalt vns  
Herr bey deis  
nem Wort.

Verloib vns  
Frieden gues  
biglich.

*Vix ipsi parcens. Quid Ego? Parere necessum  
Atq; Deo atq; Diis. Horum est mandare ministris.*

*Dilligere, choro vir addictissime nostro,  
Te mala febris habet, simul atq; tenacior haeret,  
Pangere dulce melos studuisses Musicus: O Te  
Haecenus ô quoties Cantorem poscimus omnes!  
Succentor Collega scholae dat juba jussus,  
Assentit cætus, sicq; ora ex mente resolvit:  
(Teutonicum fas est Latius sic reddere metris)*

1. Serva, Deus, verbum tuum,  
Turcam Papamq; supprime,  
Qui filium volunt tuum,  
Turbare de throno suo.
2. Jesu, remonstra dexteram,  
Potentiæ absq; termino,  
Defende subditos tuos,  
Rex, laude quó te provehant.
3. Solator, alme Spiritus,  
Dona tuis concordiam,  
In extimis angustiis  
Asylon esto & arbiter.
4. Consultat hostis impius;  
Confunde, Jova, machinas,  
In proprium caput ruant,  
Quæ perfidè piis struunt.
5. Sic pœnitentes noverint,  
Te non Jovem brutum tuæ  
Sceptrum tenere Ecclesiæ,  
Credientis in te firmiter.
6. Concede pacem tempori,  
Sub Marte ferreo & truce.  
Qui militet, non est, potens  
Nisi tu, Christe, sceptriger.

7. Da



7. *Da pacem, da summe Deus, rex arbiter orbis  
Rutiferis nostris ducibus, da regna quietam,  
Quò nos pacatè vivamus & arva colamus,  
Floreat ut pietas, jus, virtus omnis, honestas.*

*Cantio finitur. Scando, sed non sine pressis,  
Suggestum, reputans mecum vel talia, votis:  
Hei mihi! qualis ego? celebranda est primula Missa,  
(absit Papalis) capiet nunc júbilus ortum,  
Matutinus, ut accedat dein júbilus almus.*

*O me non dignum pro tanto dicere festo!  
Dicere pro festo, quod non iterare licebit  
In terris: mox est judex venturus Iesus.*

*O me non dignum! Cano bis nunc júbila festa.  
Festa cano juvenis Lutherania júbila Ahornæ,  
Ut prius huic cathedra valedixi, júbila tractans  
Publicitùs. Rediit labor at pergratus in urbem.*

*Nunc repeto attentus vice binâ júbila festa  
Júbila festa, Evangelica - Augustana.  
Concio non normam Papa; sed verba revolvit,  
Matthæus quæ signavit Christi ore vocatus,  
Nono ubi sub puncto Christi acta fideliter effert.  
Biblica verba legam: modicum requiesce Poësis.*

**E**T circuibat Jesus omnes civitates & castella  
docens in Synagogis eorum, & prædicans Ev-  
angelium regni, & curans omnem languorem  
& omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus  
est eis, quia erant vexati & jacentes sicut oves non habentes  
pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa;  
operarii autem pauci. Rogate autem dominum messis, ut  
mittat operarios in messem suam.

Sib Herz un-  
serm Fürsten etc.

M. Eschenbach  
berichtet die  
erste Frühpres-  
digt.

Text der ersten  
Zubelsfrühpres-  
digt.

B 3

Vena



Der Fröhpredigt  
Abtheilung /  
Summa und  
Innhalt.

Nach der Predi-  
gig ist gesungen  
worden /  
Ich bitte / O  
H E R R / auß  
Herzen grund.

Beschluß der  
Fröhpredigt.

Die hohe Amt  
predig ersten  
Zubeltags /

*Venare di : textum hunc, sed Teutonice ore locutus,  
Disposui in partes binas duce flamine sancto.  
Pars erat anterior : Christus, qui viseret urbes,  
Ceu Superintendens : populo pressus miserescens.  
Altera, mandatum Christi intendentis habebat,  
Fontibus ex his dimanans, fuit additus usus.  
Missa aderat finis. Complentur templa sonora  
Musica, & ad Domini laudes pia corda moventur  
SPENGLERI ad ductum, liceat quem vertere metrô :*

1. Ex corde te precor DEUM,  
Ne subtrahas iratus  
Ori meo verbum tuum,  
Sic non habebit unquam  
Culpa ulla me, sub gratiæ  
Mitto tuæ subin me.  
Verbum basis cui manserit,  
Morsum necis non sentit.
2. Pedi meo verbum tuum  
Lucerna clara fulget,  
Monstrans poli viam mihi:  
Hoc Phosphoro lucente,  
Homo DEI discit sibi  
Mysterium profundum,  
Quod pollicetur Spiritus,  
Queis fixa spes in illo est.

*Postmodò Collectæ; benedictio: Missa peracta est.  
Accedo majora. Date aures mentibus æquis.  
Majora accedo, dixi. Nam maxima restant  
Dicenda. Hei! faciet me elinguem copia fantem.  
Sol matutinus sextam superaverat horam  
Dimidio : resonant conjunctis plausibus omnes*

Cam-



Campanæ, pulsum nobis trino ordine, dantes,  
 Dantes magnifico plausu pulsuq; sonoro.  
 Vidisses cætum Christi tanto agmine fidum,  
 Ad loca sacra pedes zelo fervente moventem,  
 Non secus atq; petunt campos per rura, per hortos,  
 Ordine disposito centenô apiaria structa,  
 Mellis sæcunda matres, animalcula grata.  
 Sed quo proripior? Complebo carmine cultum,  
 Cultum præcipuum. Cano sancta; at carmine crudô.  
 Rem spectate, mei proceres, non Rhetoris ora.  
 Sum memor ad punctum, nec me sententia fallit,  
 Tu Pfrüscher, mihi junctissime Compater, Ordo  
 Te sacri officij tenuit felicibus horis.  
 Non secus ac Aron decoratâ veste subintrat  
 Sanctum sanctorum, benè munia diva ministrans.  
 Visus es Altaris sacra limina scandere dignus,  
 Ecce, fatebor enim, Angelicâ te voce canentem,  
 Audivi, ad Numen devoto pectore raptus:  
 Gloria sit soli, qui dirigit omnè, Jehovahæ,  
 Magnus in excelsis. Respondit Musica sanctè.  
 Tu benedicendo pergis devotus ad aram:  
 Vobiscum Dominus. Responsum est denuò sanctè.  
 Mox ego de cathedra legi Davidica metra,  
 Post septem decies & sex quæ præcinit ille.  
 Nigrave sit, Proceres, attendite Biblica verba:  
**N**otus in Judæa Deus: in Israël magnum  
 nomen ejus. Et factus est in pace locus e-  
 jus, & habitatio ejus in Sion. Ibi confregit  
 potentias arcuum, scutum, gladium & bellum. Illu-  
 minans Tu mirabiliter à montibus æternis: turbati  
 sunt

wird bedenk-  
 lich durch den  
 Glockenklang  
 angedeutet.

Die Pfartern  
 der finden sich  
 heufig zum  
 Fest.

H. Pfrüscher  
 ist Wöchner /  
 und heilt das  
 Ampt vor den  
 Altar.

M. Eschen-  
 bach liest den  
 Epistel Text.



sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & quis resistet tibi, ex tunc ira tua. De caelo auditum fecisti iudicium, terra tremit & quievit. Cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ cogitationis diem festum agent tibi. Vovete & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in cruciatu eius affertis munera terribili. Et ei qui affert Spiritum Principum, terribili apud omnes reges terræ.

Der ordentlich  
Deutsche Gesang  
vor der  
Amptpredig.

HERR Gott  
dich loben  
wir 26.

*Musica subsequitur: dulcissima cantica patrum,  
Hippona quos coluit, coluit quos Mediolanum,  
Teutonicâ linguâ Luthero interprete versa,  
Nos hebeti venâ ludemus talia dantes:*

Laudamus, ô Jehova, te,	Corona tota martyrum.
Agentes gratias tibi,	Te laudat ore confono,
Æternitatis arbiter,	Cohors fidelis ampliat
Te laudat orbis jugiter.	Laudes tuas per ordines.
Chorus poli, vel quicquid est,	Altissimum Deum patrem,
Tuæ ministrans gloriæ,	Ejusq; JESUM filium,
Ti Cherubin, ti Seraphin,	Paraclerumq; maximum,
Canit melos suavissimū:	Veris honorat cultibus,
DEVS Triune, Sanctus es:	Rex Christe JESU gloriæ,
DEVS Triune, Sanctus es:	Substas ab ævo filius,
DEVS Triune, Sanctus es:	Sed virginem non despicias,
Jehova, rex exercitus.	Homo factus salutifer.
Virtus potens tua omnibus	Mortis fregisti aculeum,
Notescit orbis angulis,	Ducens pios ad cœlica.
Apostolorum cœtus, &	Dei sedes ad dexteram,
Propheticum collegium,	Honore fulgens perpeti,

Tu



Tu judicabis arbiter,  
Vivos simulq; mortuos.  
Juva tuos nunc servulos  
Lytro redēptos sanguinis,  
Nobis locum concedito  
In altis cum fidelibus.  
Tuo succurre cœtui,  
Salutis ac hæredibus.  
Protector alme, nos bea,  
Qui Christiani dicimur.

DEUM diebus omnibus  
Oramus inde supplices:  
Tu provide, verax DEUS,  
Peccata ne nos obruant,  
Benigna sis ô Trinitas,  
Adversitatis tempore,  
Monstraq; nobis gratiam,  
Ceu suspicit te nostra spes,  
Speramus in te firmiter,  
Amen canentes dicimus.

*Cætera sub ticeo festi data tempore sueti.*

*Nunc modò rara cano: Mecum sacra visite templum.*

*En! ubi cantatum est benè: Spiritus alme venito.*

*Qui Superintendit curâ vigilansq; labore,*

*Finckius, ingreditur sacraria totus lôvâ*

*Plenus, & Angelicâ visus mihi scandere formâ*

*Suggestum. O cives! memorate nepotibus olim,*

*Hoc memorabile, vix vel non remeabile festum.*

*Finckius aggreditur festi caput: Auscultemus!*

*Biblica lecta iterò, sanctè juratus ad illa:*

**P**sal. 119. v. 15. In mandatis tuis exercebor,  
& considerabo vias tuas v. 23. Etenim,  
sederunt principes, & adversum me loquebantur, ser-  
vus autem tuus exercebatur justificationibus tuis. v. 31.  
Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confunde-  
re. v. 46. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu  
regum, & non confundebar. v. 51. Superbi iniquè a-  
gebant usquequaq; , à lege autem tua non declinavi.  
v. 113. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. v. 114.

Herz Superin-  
tend gebet auff  
die Sangel.

Text der ersten  
hohen Jubels  
Predig.

C

Adju-



Adjutor & susceptor meus es tu, & in verbum super-  
speravi. v. 165. Pax multa diligentibus legem tuam, &  
non est illis scandalum.

Wie der Herr  
Superintend  
die erste hohe  
Zubelpredig  
verrichtet habe.

Finckius hac sancto ore legens, sed Teutonico ore,  
Summè devotus stetit, & post illa resedit  
Attentus populus, dicenda audire paratus.  
Fállor, an audivi redivivum lumine Vatem,  
Jesseum sacro Finckl jam plectra moventem?  
Spiritus incaluit: mox Finckius ora resolvit,  
Exponit clarè: Doctor tulit omnia puncta,  
Qualia Tharsensis tetigit voluitq;, per horam  
Paucis multa docet, monet, ad cor verba loquendo.  
Tantum ego summa sequor, fateor; fastigia rerum,  
Corrigit ex zelo: solatur pectora mæsta,  
Papæ ob pressuras & bella minantia mortem.  
Erigit afflictos cunctâ ratione relictos:  
Nec satis. Audisses vel elenchos mille notantem  
Adjutum verbi normâ, miro ordine cuncta.  
Non est cujusvis tam paucis dicere multa.  
Sed nec temnendus, cui non sunt tanta talenta.  
Divitis ingenij est, tam grandia Cæsaris acta  
Condere, & arctato sermone referre, probare.  
Divitis ingenij est, animosi Saxonis acta  
Condere, & angusto spacio proferre, probare  
Non titillo aures Finckl. Decet acta poëtas  
Narrare ad trutinam veri. Concessa potestas  
Non est mentiri pictoribus atq; poëtis.  
Ast me non inter voluit numerare poëtas  
Natura, & spaciis quasi parca coercuit arctis.

Nec



*Nec cano ficta tamen : Testor patriota Coburgam ,  
 Sitis surdastri , me versificante , poëta ,  
 Ad tempus . Proceres habeo de more faventes .  
 Non ego Aristarchos curo , quibus optima sordent  
 Alterius , proprium sed stercus moschus & aurum est .  
 Ad sacra , Musa , redi , qua reliqua , texere perge .  
 Vix Tin-Tin dederat campanula motibus apta ,  
 Concio finita est precibus penetrantibus astra .  
 Nec dum finis erat cultus : sed Musica caudam  
 Cum capite addit ovens-motans ad júbila cætum .  
 Tu , Grimmi , sacra vasa paras , mensaq; ministras .  
 Interea hospitibus sanctissima cæna paratur ,  
 Te præcone DEI , Pfrüschere , precante , sacrate ,  
 Sacrilegâ minimè specie , ceu dicitur , unâ .  
 Accessi ipsus ego contrito corde synaxin ,  
 Hinc documenta simul fideiq; speiq; remonstrans .  
 Nec tibi festa negat sacer ordo júbila nostra ,  
 Casmiri-Acropolis : resonabat Bom Bide Bom Bom ,  
 Bombarda q; fragor solis signaverat ortum ,  
 Mox tibi festa canit divinus júbila præco ,  
 Quem Piscatorem vocitat Seidsdorffica turba .  
 Itum est ad privas sacris de sedibus ades ;  
 Maurici templum vacat , & prandetur ad horam .  
 Hora undena sonat ; senior Pfrüschere subintrat  
 Templum , nautarum patrono ( vel quasi ) gaudens .  
 Et sacra verba facis , tractans psalmodica lecta ,  
 Annectisq; usum mixtis ad singula dictis ,  
 Exemplisq; probas præstanti munere lingua :  
 Nil sine scriptura loqueris : tua concio dictis  
 Condita est sacris & zelo prædita justo .*

C 2

Non

Johani Grimmi  
 Kirchner berei-  
 tet den Altar.  
 Herr Pfrüschere  
 Wöchner heilt  
 das hochwür-  
 dige Abendmal.  
 M. Eschenbach  
 empfehet neben  
 andern Mit-  
 Christen das  
 H. Abendmal.  
 Auf Fürstl.  
 Vestung wird  
 Salve geschosse.  
 Herr Fischer  
 Pfarrer zu  
 Seidmans-  
 dorff verrichtet  
 die erste Jubel-  
 predig auff der  
 Vestung.  
 Herr Pfrüschere  
 Diaconus  
 predigt zu S.  
 Niclas um  
 Mittag.



Herr Melchior  
Weigler zum  
heiligen Creuz  
ist krank / daß  
er das Jubels  
fest mit predi-  
gen nicht ver-  
richten kan.

M. Ziegler  
Exul Christi  
Stresendorff.  
verrichtet die  
erste Jubelpre-  
dig zum heili-  
gen Creuz / an  
stadt H. Weig-  
lers.

*Non secus atq; coquus benè condit aromate carnes.*

*Hei mihi quid memorem? non júbilus omnia complet.*

*Tristia miscentur latis. Ita praxis in orbe est.*

*Ejulo commiserens, suspendo & júbila cordis.*

*Sanctæ quippe crucis tristari recta videntur,*

*Testariq; suas tacitâ vel voce querelas:*

*Weiglerum heu nostrum! febris quem querquera tor-*

*Nuper Weiglero viduo subsellia nostra, (quet*

*Condolère: redit jam jam dolor auctus in orbem.*

*Quæ Weiglere tibi mens est? ediffere nobis.*

*Autumo, respondes febrî correptus amarâ:*

*Sit Crux dupla mihi: viduus sum mæstus & orbis:*

*Sim lecto affixus: Cruciant majora dolentem.*

*Júbilus auditur: campanula provocat, urget,*

*Tunc ego me crucians feror in suspiria totus:*

*Vobiscum ab liceat, Collegæ, júbila festa,*

*Concelebrare pio cultu, ceu functio poscit!*

*Officium cordi est: vix me patientia vincit.*

*Pone modum, Cruciane, cruci, Collega fidelis.*

*Jubilat hic felix, ast ejulat ille dolendo.*

*Hæc praxis mundi est. Patienter ferre memento,*

*Quod Deus injunxit. Qui sub cruce jubilat, ille,*

*Ille agitatur verè, me judice, júbila festa.*

*Weigleri supple partes, Ziglere Magister,*

*Emphatico eloquio crucis imple templum vocatus,*

*Nec crucis ignarus, Christi tum servus & Exul.*

*O grex Chære, mea quondam commissa fidei*

*Curæ, corde gemis tacitò, Stresdorffia chara,*

*Mente quidem celebros tecum nunc júbila festa,*

*O si voce simul puncto prasente liceret!*

*Irrita*



*Irrita vota fero, ah! Stresdorffia chara, negavit  
 Anti-qui-Christus, meretrix Babylonia, dictus.  
 O Papam brevibus gyaris, & carcere dignum!  
 Olim Satanico cruciatu & verbere dignum!  
 O si restares mihi spes, suggesta redire  
 Ad tua! Sed prestat motus componere cordis,  
 En! duodena instat: recto sol vertice gaudet,  
 Mauriti revocant campana ad júbila: complet  
 Musica sacra chorum Lutheri cantica promens,  
 Quae lubet ad verbum lyrico sic vertere metro:*

1. Jehova rex, verbum tuum  
 Fuit diu obvolutum:  
 Donec tuam per gratiam  
 Sunt dicta verba Pauli:  
 Et cæteri quæ nuncii  
 Tuo ore scriptitarunt,  
 Grates tibi nos dicimus,  
 Tandem quod hora venit.
2. Dies potenti vî tulit,  
 Quod omnibus patescit,  
 Deus meus, clementiâ  
 Convertite te negantes:  
 Plus æstimantes dogmata  
 Humana, quæis peribunt.  
 Verbum tuum notescat, ah!  
 Ne puniantur olim.
3. Vis Christianus dicier  
 Et esse: Crede primò  
 Hæreque nixus unicè,  
 Fide atque charitate:  
 Solo in D E O, omni termino,  
 Deum proximo faveto,  
 Sit pura conscientia,  
 Inæstimabilis res.

Die erste Mitt-  
tags Jubelpres-  
dig geht an.

Der ordentli-  
che Deutsche  
Gesang.

O Herr Gott  
dein Göttlich  
Wort

C; 4. Tu



4. Tu solus es potis dare,  
Sed gratiam per omnem :  
Qui fudit huic, nã salvus est,  
Eiq̃ nil nocebit :  
Etsi velint Cæsar, Papa,  
Verbum tuum remotum,  
Non æstimas potentias,  
Spe lusus hostis egit.

5. Necessitatis tempore,  
Deus, converte cunctos,  
Qui sancta spernunt Biblia,  
Docere nec volentes:  
Tantum boant : non est ita,  
Sed lectitare nunquam,  
Nec audiere nobile  
Verbum, furore stulti.

6. Credo ratus vera esse, quæ  
Apostolus rescripsit :  
Vel puncta mundi transeant,  
Verbum tuum manebit  
In seculum : ferant malè  
Durata corda multa,  
Nisi regressum fecerint,  
In tartaro dolebunt.

7. DEUS Jehova sit mihi,  
Mori mihi lucrari est :  
Ab omnibus malis, tuo,  
JESU, lytro beasti,  
Sum gratus hinc : dabis mihi  
Promissione factâ  
Petita, ne repelle mē  
In morte simvé vita.

8. Spero, Jehova, sub cruce  
Nunquam relinquis illos,  
Verbum tuum qui servuli,  
Custodiunt fideles :

Queis



Quæis das beatitudinem ,  
Nec vis eos perire ,  
DEUS rogo te , me sine  
In te mori beatè.

Cantu finito , aggredere , Collega colende ,  
Non faciles , fateor , Seidenbechere , labores.  
Perlegis articulos Carolo de nomine Quinto  
Augustæ exhibitos viginti unumq; , subaddis  
Membratim glossas , seu mavis dicere , quas vis  
Doctrinas : breviter , graviter , clarè , omnia verè.  
Et ne membra gravent mentes lassata , modestè  
Concedis sedem capere & dicenda tenere .  
Impiger incepti telam , Collega , laboris  
Pertexis , sanctèq; locas commissa talenta .  
Suaviter audiris : nullum sopor obruit altus ,  
Forsitan exceptâ vetulâ ancillâve socordi .  
Nervosè audiris , punctim dum singula neclis ;  
Percepere animi dociles , tenuere fideles .  
Ingenuè dico , si quis me iudice certex ,  
Maximum in exiguo regnavit corpore donum .  
Maximus astus erat : Superasti fortiter illum .  
Ingenuè dico , nec fallor mente sinistra ,  
Maximum in exiguo regnavit corpore robur ,  
Ast opus omne DEI fuit hoc : Hic dona ministris  
Concedit missis , & corpora robore firmat .  
Automaton tinnit monitor : properare laboras ,  
Contrahis articulos , primum finisq; laborem .  
Cantica Christipara sunt addita virginis alma ,  
Prodit Pfrüscherus , relegitq; paranesin illis ,  
Quos malè pœnituit fecisse , fidesq; refecit .

Acce-

Herr Seiden-  
becher Diac.  
hat die Mit-  
tags Jubel-  
predig.

Text.

Der Predige  
kurzer Inhalt.

Der Predigt  
Beschluss war  
mit dem Ma-  
gnificat.  
Herr Pfrüscher  
liest die Beicht-  
Vermahnung.



Accedunt tandem contriti corde, petentes  
Absolvi à culpa. Triados fit nomine sancta.  
Audistis festi seclavis Sabbathæ prima.  
Et sic mandati pars est exacta laboris.  
Si brevior fuero posthac, ignoscite Patres.  
Jubila nam primi solennia summa diei.  
In reliquis dispar labor est; sed ritibus idem.  
Paulatim claro successit vesper olympo,  
Cœnatur parçè: nostra & nox ingruit urbi,  
Et placido somno civis se mancipat omnis.  
Nescius interea somni dulcisq; quietis  
Sol, cæli curvos percurrit providus orbes,  
Auricomis radiis sistens se denuò nobis.

Der ander  
ZubelTag.

Die Studens  
ten singen am  
allerfrühesten im  
Collegio.

Frñ Mefi des  
andern Jubels  
Tags.

Der Gesang:

Ein feste Burg  
ist vnser Gott /

Quid Studiofa cohors faciat sacrata libellis?  
Est aurora equidem Musis preciosior aurò,  
Jam prævenit eam, noctis non nube repulsâ,  
Visa mihi insomnem vel traduxisse quietem,  
Jubila & inceptat benè festa secunda secunda.  
Harmonico plausu modulamina multa recantans.  
Alterius sequitur festivi Missa diei,  
Musa parata choro pia concinit ore Lutheri  
Cantica, quæ verum depingunt arcis asylum,  
Mutuor, atq; rudi placez huc transferre cothurno.:

1. Arx firma Jova noster est,  
Probatuſ enſis, arma;  
Ille eripit cunctis malis,  
Pios prementibus jam: :  
Nequam veterrimus  
agit rem seriò,  
Dolus, vis & magna,  
Sunt arma fortia,  
Parem non terra novit.

2. Non



2. Non nostra stat potentia ,  
Citò perimus omnes ,  
Pro parte nostra vir vir est  
Electus à DEO ipso :  
Quæris quis ille sit ?  
JĒSUS dicitur  
JEHOVA Zebaoth ,  
Nec alter ullus est ,  
Huic viro est triumphus.

3. Diaboli orbem compleant ,  
Vorare nos volentes :  
Tamen timemus nullibi ,  
Res nostra salva stabit :  
Hujus qui dux soli  
Tyrannus sit licèt ,  
Damni nihil dabit ,  
Qui judicatus est ,  
Vox una vincit ipsum .

4. Stet' verbum eis nolentibus ,  
Nec nos eos timemus :  
Adest JĒSUS promachus  
Cum Spiritu atq; donis :  
Sumant licèt vitam ,  
Prolemve conjugem ,  
Dimitte singula ,  
Sunt lucra vilia ,  
Nos regna possidemus .

*Cantio finitur. Senior Collega, serente  
Ordine, commissa Missæ dat jubila verbi,  
Textu prælecto, quem signat in ordine deno  
Matthæus: Christi sunt, quasò attendite, verba:*

**M** Atth. 10. v. 9. Cum autem tradent vos, no-  
lite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur  
enim

Herz Pfräscher  
berichtet die  
andere Präpres  
dig.

Text.

D

enim



enim vobis in illa hora, quod loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

Der Fröpredig  
dig kurzer  
Inhalt.

Gesang nach  
der Fröpredig.  
Wer Gott  
nicht mit uns  
diese Zeit,

*Hac ait. Et pergit cæcum informare, labori  
Hesterno assuetus: nobis solatia præbens,  
Inprimis verbi pastoribus apta refundit.  
Quodq; ministerij sit fulcrum, monstrat abundè,  
Nec labor eventus caruit: superadditus usus  
Edocuit cæcum, quæ sit præstantia verbi.  
Audit hoc pietas, fidoq; in corde recondit.  
Sed quia Missa brevi spacio contenta subinde,  
Finis fit sextâ: subnectit Musica cantum:*

1. Nisi Deus sit arbiter,  
Israël conqueratur:  
Apud nos stet nisi Deus,  
De nobis esset actum:  
Grex qui pusillus nos sumus,  
Spreti tot à terræ incolis:  
Nos odio insecutis.
2. Tanto furore inæstuant  
Deus si pertulisset,  
Vorassent nos tyrannicè,  
Sumus quod omne vitâ,  
Inundati ceu flumine,  
Vel quos procella suffocat,  
Et vi subactat omnes.
3. Laus sit DEO, quod caverit,  
Ne fauce nos vorârint:  
Ceu reste avis fit libera,  
Sic vita salva nostra est,  
Rupta est catena: liberi.  
Jehovæ nomen nos tegat  
Polum-solum creantis.

*Addi-*



*Addita collecta est: Benedictio: Missa secunda est,*

*Adventant festi solennia festa diei,*

*Dantq; sonum trinum fusa arte metalla superbum,*

*Musica festivi fecit primordia cultus:*

*Munere Pfrüscherus sancta perfungitur ara*

*Denuò, ceu primo consecerat omnia ritè.*

*Seidenbecherus scandit suggesta minora,*

*Prælegit & textum, quem matutinus habebat.*

*Cultus pro norma Missæ. Fit finis. Et infit*

*Succentor juncto modulamine ad organa cantum,*

*Regina Ungarica, qui dicitur esse, Maria,*

*Germanum converto stylum vertoq; Latinum:*

1. *Avertero si non malum,*

*Favoribus*

*Mundi carens, quid inde?*

*Artem tamen scio bonam;*

*DEI favor*

*Mihi non denegandus:*

*DEUS prope est, ad punctulum.*

*Latet - quasi, donec necet*

*Verbi odio furentes.*

2. *Licet disponam res meas.*

*Infirmus ah!*

*Crucem DEO minante,*

*Constat tamen; vis nulla stat.*

*Hoc optimum:*

*Mundana quæq; vana:*

*Cæli bonam, solatium,*

*Hic hæreo periclitans*

*Jovâ juvante vincam.*

3. *Ad tempus, est proverbium:*

*Homo - DEUS,*

*Mea pro parte stabis:*

*D 2*

*Videns*

Alle Glocken  
deuten das hohe  
Ampt des  
andern Jubels  
festis an.

Herz Pfrüschers  
Wächner /  
helt das Ampt  
vorm Altar.

Herz Seiden-  
becher liest den  
Epistel Text.

Der ordentlich-  
che Gesang.

Mag ich Un-  
glück nicht wider-  
stehn.



Videns meum infortunium ,  
Quasi tunm ,  
Si me occuparit illud :  
Oportet, sit, me militem ;  
Ut munde, vis : scutum DEUS  
Juvans me ducet, AMEN.

M. Eschenbach  
predigt den an-  
dern Jubeltag  
auff Fürstl.  
Vestung.

*Ordine diducto, meum erat discedere celsam  
Acropolin nostram conducto milite fortem.  
Jubila grata ferens propono grana sinapis,  
Cumq; Ecclesiola facie conferre laboro.*

*Finckius interea non impiger usq; laboris  
Auditur magnus : labor & redit actus in orbem.  
Ex Marco profert Germano Idiome CHRISTUM.  
Puncto sub quarto de grano talia fantem :*

Text der an-  
dern hohen Zus-  
belpredig.

**E**T dicebat JESUS : cui assimilabimus  
regnum DEI, aut cui parabolæ com-  
parabimus illud? Sicut granum sinapi, q̄ cum semi-  
natum fuerit in terra, ascendit in arborem, & fit ma-  
jus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut  
possint sub umbra ejus aves cœli habitare.

Herr Doct.  
Superintend  
berichtet die  
ander hohe Zus-  
belpredigt.

*Dixerat : Et Suada redit in precordia virtus  
Divina. Suetâ methodo textum arte resolvit ,  
Excerptiq; locos manantes fluminis instar.  
Hac tibi sueta manet methodus, nobisq; probatur.  
Hunnius ille fuit tibi ductor, Doctor & autor.  
Tu nobis sueta methodi stas ductor & autor.  
Multi allegoricâ methodo oblectantur : at alter  
Ordine rhetorico satagit cum laude docere.*

Sunt



Sunt qui thematico procedunt ordine strictim,  
Sunt & subtilis quos norma scholastica vexat.  
Emulus es, Fincki, veneror quem nomine patris,  
Mellificantis apis, qua floribus insidet aptis.  
Insidet incumbens, fucis inimica, laboris.  
Insidet, haud fugens de flore venena nociva.  
Insidet extractis, qui praestant nectare, succis.  
Avolat, atq; favos ad grata alvearia portat.

Sed quò mente feror? redens ad júbila pergo.  
Decedit justâ, super-in-qui-tenderat, horâ  
Finckius: altigradas petis Hebdomadarius aras,  
Pfrüschere, & cœnam dispensas ordine magnam  
Hospitibus, quæis te socias dignissimus ipsum.  
Sic passivus eras activus & insimul Hospes.

Ecquid Ego? pransus mandato munere fungor,  
Templa leproforum viso, sacra dogmata spargo,  
Pro modulâ sacra grana lego, dissemino largus,  
Et fecundus ager cordis collegit anhelans.

Tempus idem tenuit Ziglerum munere functum,  
Vel vice tum binâ, patriotis júbila charis  
In crucis ade sacrâ cum zelo festa canentem.  
Ecce catenatos per júbila nostra labores!  
Sed non ingratos: modò si lucremur olympo  
Complures animas raptas de faucibus Orci.

Namq; dat arisonum murmur Mauricia turris,  
Protinus excelsâ decantat Musica voce:

1. DEUS bone, ut fit, accidit,  
Passim furente vulgo?  
Reges duces ad invicem  
Suffragio laborant:

D 3

Con-

11  
Herr Pfrüschere  
berichtet das  
Ampt wegen  
des hochw. A.  
bendmahls / vñ  
empfehlets auch  
selbst zu gleich  
mit.

M. Eschenbach  
predigt zu S.  
Nielas.

M. Ziegler  
berichtet die  
andere Jubelpre-  
dig zum H. T.

Die Mittags-  
predig gebet an.

Gesang:  
Hilff Gott wie  
geht es immer  
zu zc.



- Contrariarier tibi,  
Nostroq; Christo JESULO,  
Mundum juvare misso,
2. Non corrigi volunt mali,  
Ductu ingeni reguntur,  
Tuumq; dogma reprimunt,  
Et quod doces in illo:  
Ad sensa cordis ambulat,  
In propriis & semitis  
Nec abstrahi potessunt.
3. Sed in polo qui praesides,  
Deus ridebis illos:  
In consultationibus  
Et machinis dolosis:  
Loquere ad illos duriter,  
Simulq; facta punies,  
Terrebus in furore.
4. Regem Jehova vult ratum,  
Cui vos thronum negatis:  
Sionis in montibus,  
Regem gregis fidelis:  
Ut indicaret omnibus,  
Decreta Patris mystica,  
Legemq; condoceret.
5. Gnatus meus tu, dixerat,  
Ab aeterno natus,  
Resuscitatus mortuis,  
Electione facta  
Adopto per te liberos,  
Meum qui nomen invocant,  
Ut te beante vivant.
6. Gentes tibi do largiter  
Haereditate, fili:  
Verbo tuo quod corrigas  
Delicta, prava nostra:

Cætus



Cætus novus progerminet,  
 Qui nomen invocet meum,  
 Terræ plaga sub omni.  
 7. Ergò notate Cæsares,  
 Et discitote mores:  
 Parete vos huic duci:  
 Verbumq; honoret omnis:  
 Regem timere assuescite,  
 Eiq; corde fidite,  
 Id est placere Jovæ,  
 8. Pœnis caput submittite,  
 Ne sentiatis iram,  
 Christus fit unicus scopus,  
 Legiq; vivitote.  
 DEI ira fervens ignis est,  
 Qui stabit innocens, benè!  
 Hic est DEO qui fidit.

*Mox dum finis habes cantum, Collega Philippus,  
 Sericus - atq; - calix per avito nomine dictus,  
 Adit at, Augustæ qua sunt oblata columnis  
 Imperij, Induperatori. Ne! digna notatu.  
 De sacramenti specie, ceu fertur, utraq;  
 An Clero vetitum licitumve sit, esse maritum.  
 De Missa (ô missam nunquam facies Papa Missam!)  
 Que sit Papicolis confessio carnificina.  
 Deq; cibus, qua sit sententia Biblica, qua non.  
 Doctare fert doctus, per clenchem falsa retundens.  
 Nomine sub pulchro te progenuère parentes,  
 Collega: Ecce dabo meditant tua nomina mentem:  
 Serica pura decent, non spurcâ veste subulcum.  
 Puros pura decent. Sic te purissima vestis  
 Cingit in officio, nobiscum es ut alter Aâron.*

Herr Seiden-  
 becher verrich-  
 tet die andere  
 Jubel. Mitt-  
 tagspredig.

Text.  
 und dessen  
 Inhalt.

Seri-



Der dritte Zus-  
beltag.

Die Studens-  
ten musiciren  
zum frühesten  
im Fürstl. Col-  
legio.

Frühpredig.

Gesang vor  
der Predig.  
Wo Gott der  
Herr nicht bey  
uns helt/ze.

*Serica amant pura neclentes ferta puella :  
Sericino Domini verbo tua ferta parare  
Niteris , & neclis Christum cum corde fideli.  
Auratos calices fœdâ complere lacunâ ,  
Absurdum ! vinum generosum poscitur ipsis.  
Sacrilegus Papa est, calicem cum sanguine furans  
Ex cœna laicis. Non sic , Collega Philippe ,  
Non sic : Propinas calicem instituentem magistro ,  
In cuius verbum tecum iuravimus olim.  
Pascitur & pascit suis instar Papa lacunis.  
Tu non sic , non sic : pascis de fonte salutis.*

*Ne saltem extra oleas , pia Musa revertere : cultus  
Desit in parili ritu , ceu júbila prima.*

*Et sic festivi conclusus júbilus alter.*

*Omne placet trinum. Trinâ vice júbila festa*

*Notificas studiosa cohors per tecta Lycæi.*

*Missa dein sequitur. Vice-Cantor, cantica promit.*

*Nobis quæ Iusti Jonæ pia vena reliquit :*

*Simplex Musa , stylum Germanum redde latinum :*

1. Nisi DEUS stet arbiter  
Hostes fremant truces si,  
Agatq; res nostras nisi,  
Cœli Monarcha summus ;  
Nisi piorum asylon sit,  
Dolos hostisq; fregerit,  
Res nostra dissipata est.

2. Humana quod prudentia  
Audet , nihil timemus :  
Altis DEUS qui præsidet  
Dabit technas apricas :  
Student cæti dum fraudibus ,  
DEUS pervertit arbiter,  
Dextrâ regente mundum.

3. Fre-



3. Fremunt furentes impij,  
Ceu faucibus vorantes,  
Student occasionibus,  
Jehovam non timentes:  
Sicut procella territat,  
Spirant necem atq; sanguinem,  
DEUS videns requireret.
4. Nos pseudodoxos nominant  
Mortem trucem minantes,  
Se Christianos jactitant,  
Solos & orthodoxos:  
Nomen tuum, Jehova Rex,  
Operculum fit criminum,  
Ah surge, juste vindex.
5. Fauces patefcunt invidæ,  
Vorare nos volentes,  
Laus fit DEO quàm maxima,  
Res exitu carebit:  
Funes Deusq; dirimet,  
Ut pseudodoxa corruant,  
Obftet vel orbis-orcus.
6. Tu das Deus solatium,  
In orbe derelictis:  
Patetq; porta gratiæ,  
Licet natura dicter:  
Spes vana, vana nostra res,  
CruX attamen pios probat,  
Dextram tuam videntes.
7. Tuâ sub dextrâ & hostis est  
Et cogitata mentis:  
Conatus & tibi placet,  
Juva nos imbecilles:  
Contra fidem natura stans,  
Nescit futuris fidere,  
Solaberis, Jehova.

8. Po-

E



8. Polum solumq; firmiter  
 Deus potens creasti:  
 Lux alma fulgeat tua,  
 Cor ardeatq; nostrum;  
 Amoris igne fervidi  
 Constante præditum fide,  
 Totus fremat vel orbis.

*Concentum satis est. Suggestum denuò tango,  
 Ad populum dicturus, epistola in ordine lecta est,*

Text der dritte  
 Fröhpredig.  
 1. Petri 3.

**I**N summa, omnes sitis unanimes, similiter af-  
 fecti, fraterni præditi charitate, misericordes,  
 affabiles, non retaliantes malum malo, non convitium con-  
 vitio, sed contra benedicentes, scientes vos in hoc vocatos  
 esse, ut benedictionem hæreditate possideatis. Nam qui  
 vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam  
 suam à malo, & labia sua, ne loquantur dolum. Declinet  
 à malo, & faciat bonum, quærat pacem, & persequatur eam.  
 Quoniam oculi Domini super justos, & aures ejus ad depre-  
 cationem illorum. Rursus aspectus Domini super eos, qui  
 faciunt mala, Et quis est, qui vos sit afflictorus, si bonitatis  
 æmulatores fueritis? Imò si quid etiam acciderit incommo-  
 di propter justitiam, beati tamen estis. Cæterum terrore il-  
 lorum ne terreamini neq; turbemini: sed Dominum Deum  
 sanctificate in cordibus vestris.

M. Eschenbach  
 berichtet die  
 dritte Fröhpres-  
 digt.  
 Gesang nach  
 der Predig:  
 All Ehr und  
 Lob sol Gottes  
 seyn.

*Hactenus hac. Doceo, Petro ducente docente,  
 Quattuor excerpo sanas crucis inde medelas.  
 Post tres quadrantes Ego trinam finio missam.  
 Sed mox intenti pulsamus laudibus astra,*  
 1. DEO fit omnis gloria,  
 Qui solus audit maximus,  
 Irascitur non amplius,  
 Placatus offert gratiam.

Hæc



- Hæc sit voluntas optima ,  
 Grates agamus serio ,  
 Te prædicamus laudibus.
2. De cordis intimo DEUM  
 Flexo colentes poplite ,  
 Thura offerentes & precum ,  
 Dignas feremus gratias ,  
 Pro celsitate maxima ,  
 Rex summus orbis es, Deus ,  
 Pater potente dexterâ.
3. Et tu DEI fili Patris ,  
 Ab æviterno , JESULE ,  
 Jehova mi, DEI agnus es ,  
 Satus Patris de stemmate :  
 Qui tollis orbis crimina ,  
 Clementiâ nos respice ,  
 Peccata nostra sufferens.
4. Nostras preces ne despice ,  
 Qui præsides ad dexteram ,  
 Benignus es precantibus ,  
 Qui sanctitatum sanctus es ,  
 Et Jova cunctis imperans ,  
 Altissimus per omnia  
 Vocaris , esq; , JESULE.
5. Cum patre cumq; Spiritu  
 In dignitate compari ,  
 AMEN, id est, verissimum ,  
 Choro fatente cœlico,  
 Et orbis omnes Anguli ,  
 A nunc per omne seculum.

*Dat campana sonum repetitum murmure multo ,  
 Volvitur hinc in me labor hebdomadarius: Aram  
 Tango sacram pedibus promptis tunicaq; subalba.  
 Gloria in excelsis complet subsellia templi.*

Die dritte hohe  
 Amtspredig  
 wird durch den  
 Glockenklang  
 angedeutet.



M. Eschenbach  
Wöchner/war  
tet bey'm Altar  
auff.

\* Herz Seiden  
becher liest die  
Epistel.

Herz Superin  
tend verichtet  
die dritte hohe  
Zubelpredigt.

Herz Pfrüsch  
predigt auff der  
Fürst. Festung.

Der dritten  
Ampipredig  
Text und In  
halt.

M. Eschenbach  
Wöchner/  
helt das Ampt  
bey Verrich  
tung des Hoch  
würdigen Ab  
endmahls.

Herz Seiden  
becher ist ein  
Gast an dem  
Tisch des  
H. Ern.

Herz Pfrüsch  
predigt zu S.  
Niclaß.

H. Geo. Adams  
Otto Exul Her  
ratel, verichtet  
an statt Herrn  
Weiglers die  
dritte Zubel  
predig zum  
heiligen Creutz.

\* *Rostrum minorum Petri, Collega Philippe, legisq;  
Verba Petri nervosa. Dein dat Musica laudes,  
Laudes, quas dederat per festi júbila primi.*

*Tandem surgit ovans Superin-qui tendit ovili  
Christi, naviculam Petri cum piscibus aptans.*

*Dulciloquò sermone notat, textuq; soluto  
Multas doctrinas depromit divite cornu.* (cem)

*Nos dum cultus habet prasens, Pfrüscherus ad ar.  
Progreditur pedibus lassatis, festa celebrat.*

*Ultima, de Petri navi pia verba locutus!*

*Finckius extremam tentat superaddere molem,*

*Concio amat normam verbi: Commendat Iēsum*

*Naviculam Petri poscentem & sacra docentem,*

*Auditusq; sacris, sequitur benedictio larga.*

*Naves pisciculi complent, Petrusq; vocatur.*

*Post: me pro dignis vidisses sacra parantem*

*Hospitibus: Collega meus se sistit & inter*

*Illos, devotus Seidenbecherus, ad omnem*

*Quem pietas poscit, quem poscunt munia, cultum.*

*Juscula vix offert dum mensa minuscula nobis,*

*Protinus egredere, Pfrüschere colende, sub adem*

*Niclaos sacram, liceat si ludere verbis.*

*Singula pertractas decorantia júbila nostra,*

*Et ne quid desit, patria ô dilecta Coburga.*

*Dum mala febris habet Weiglerum, tertia festa,*

*Tempore pro, celebrat sanctè pius exul Adamus*

*Otto, Coburgensis, quem rara modestia laudat.*

*O vos, exilii socij, electissima fratrum*

*In Christo passim dudum tristata corona!*

*O minimum, ô quoties cernunt mea lumina vestrum*

In



*In lacrymas totus solvor pietate movente!*  
*In me descendo mecum vel talia librans:*  
*Hei mihi! quàm dura est crux exilium in speratum!*  
*Annè parùm est, meretricis Babylonia, sanguine pasci*  
*Christjano? ante parùm, tot tot pervertere regna?*  
*Regna, urbes, pagos Mavorti tradere savo?*  
*Delectaris adhuc lacrymis hinc inde vagantis*  
*Exulis? heu quotò numerò, tibi, JESULE, notum est.*  
*O quàm grande nefas, furiali morte piandum!*  
*Exulibus Christi miseris succurrere disco.*  
*Vos passi graviora DEI cum laude ministri,*  
*Colligitote animos, dabit his Christus quoq; finem*  
*Aerumnis. Christus patitur patiente ministro.*  
*Exulerat Christus, comites vos exulis hujus*  
*Esse decet: Comites Christo gaudete magistro.*  
*Missã sed hæc facio: Seidenbechere, labores*  
*Nempe tuos video restantes, narro fidelis;*  
*Atq; ita vel finem completo impono labori.*  
*Jubila maturant finem. Dat Musica cantum,*  
*Quem cum Lutheri venia transpono latinum:*

1. Clemens. DEUS det gratiam  
 Cum pace sempiternã;  
 Vultus DEI præfulgidus,  
 Lux est beatitatis:  
 Ut acta diã clareant,  
 Et quæ placent Jehovah,  
 Jesuq; Christi vis-salus,  
 Et Ethnicis patefcant,  
 Salventur ut reversi.
2. Grates tibi DEO sonent  
 Gentes per universam:

E 3

Et

Herr Seiden-  
 becher verich-  
 tet die dritte  
 Mittag, Zus-  
 belpredigt.

Gesang vor des  
 Predig:  
 Es wolt uns  
 Gott gnedig  
 seyn / 26.



Et omnis orbis gaudeat,  
Melos canens sonorum :  
Judex in orbe summus es ,  
Malis nec frena laxas ,  
Dat pabulum verbum tuum ,  
Quo plebs cibatur omnis ,  
Via deducta recta.

3. Grates sonet cum laudibus ,  
Cætus bonis in actis ,  
Nam terra fit feracior ,  
Verbum tuumq; floret :

Nobis petentibus ferat.  
Vultum Trias sacrata ,  
Quam mundus intimè colat ,  
Timens in corde fido ,

Nunc dicat omnis, A M E N.

*Musica subsiluit. Seidenbechere laboras.*

*Extremos digitos adhibere & claudere festa,*

*Nec tenuis labor, & tenuis nec gloria restat.*

*Prælegis ore gravi Psaltis Neginothica metra :*

Text der drit-  
ten Mittags  
Zubelpredigt.  
Psalm 67.

**D**EUS misereatur nostri, & benedicat  
nobis, illuminet vultum suum super  
nos, Sela. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in o-  
mnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi po-  
puli Deus, confiteantur tibi populi omnes, Latentur  
& exultent gentes, quoniam judicas populos in æqui-  
tate, & gentes in terra dirigis, Sela. Confiteantur tibi  
populi Deus, Confiteantur tibi populi omnes Terra  
dedit fructum suum, benedicat nos Deus, & DEUS  
noster. Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fi-  
nes terræ.

*Dicit*



Dicis. Et aptatas glossas jungis, & addis  
 Magna Catechesis divi benefacta Lutheri.  
 Insuper articulos, pro quibus Babylonia certat,  
 Concertat meretrix, non arte, at Marte cruento.  
 De Monachum votis. Monachorum vota, Jehova,  
 Olim nota dabis. Parcendum est auribus, ori.  
 Vota coacta monastica, non pia, vana.  
 Ultima cum primis componis: Episcopo Pape,  
 Dissere, quae sit prima tibi concessa potestas?  
 Hec Collega doces suavi sermone & elenchum  
 Ore modesto adhibes, & festi júbila claudis.

**E**Xtra me rapior: recolo dum mente quietâ  
 Et zelum & cultum, vel quicquid Principis ardor  
 Mandatis dederat, rapior super astra levatus,  
 Innumerò numerò vidi, velut agmine factò  
 Magnates, cives, concurrere ad atria templi.  
 Stabant orantes. cantantes ordine pulchrò.  
 O fortunatam nimium, tua si bona nôris,  
 Dilectam patriam, quam multis festa negantur  
 Urbibus & pagis vi scriptò milite pressis?  
 Attestare gemens tenuata Silesia nervis:  
 Attestare dolens confracta Bohemia bello.  
 Laudo magnates, Doctores laudo, magistros  
 Laudo, mechanicos, uxores atq; puellas.  
 Paucos vidisses mendicâ veste meantes  
 Ad sacra: Purpureus processerat unus, & alter  
 Sericus, ad festi laudes suntserta puellis,  
 Armilla, torques, frontale, calyptra, lacerna.  
 Eusebies specimen praeluxit, divite fructu.

Exere-

Inhalt der  
Predigt.

Wiesich der  
Stadt Einges  
pfarite unter  
den Jubelfest  
erzelget haben.

Weniglich  
gebet fleissig  
zur Kirchen.

Jederman fleis  
det sich/ so viel  
möglich/reinig  
lich.



In den Gottes-  
lasten wird drey  
Tag reichlich  
eingelegt.

Handwercks-  
leut seynen das  
Zubelfest hoch.

Alle Vpzigkeit  
ist abgeschafft.

Die jungen  
Haußtöchterl  
vnd Mägd sin-  
gen den Abends-  
reihen hin vnd  
wider in Gassen  
mit schönen  
Geistlichen  
Liedern.

Kriegsbolet  
zeucht den drit-  
ten Jubeltag  
bald nach Mit-  
ternacht vor d  
Stad über den  
Ingrund hin-  
ab.

Zubelfest in  
der Fürstlichen  
Hoff Capell.

Herr D. Hoff-  
prediger ver-  
richtet das Zu-  
belfest drey  
Tag zu Hoff.

*Excrevit raris nummis elemosyna sacra.*

*Larga manus deprênsa fuit, non Euclio turpis.*

*Institor, artifices, fullones, pellio, sartor,*

*Agricola, fossor, coriarius, histrio, textor,*

*Ocia sectati omnes suspendere labores.*

*O patriota, Deus nobis hac ocia fecit!*

*Festa secuturis narrato nepotibus olim.*

*Nulla hio luxuries, non rixa, verbera, cades,*

*Singula pacifico nexu composta per urbem.*

*Cum propior fieres curvato vesper olympo,*

*Vidimus in choreis stantes cum laude puellas,*

*Non vanis choreis (procul esto libidinis ignis.)*

*Vidimus in gyrum ducentes se ordine nymphas,*

*Innuptas nymphas, modulantes cantica sacra,*

*Extra-intra muros spaciosas perq; plateas.*

**U***Num triste cano deturpans júbila nostra.*

*Sol nondum fulgore suo lustraverat orbem,*

*Tertius instabat mandatus júbilus: Ecce!*

*Mavortis pulli muros transire cupiscunt;*

*Quod dum non licuit, pergunt trans Ihsica prata,*

*Non sine sarcasmis minitantes festa cruenta.*

*Quos Ego! Sed prestat genus hoc committere ventis.*

*Ite, reversuri nunquam! Jesu, annue votis.*

**N***unc aulam ingredior: veniam dabis, inclyte Prin-  
ceps,*

*Paucis multa cano, meditans brevis esse laboro:*

*Quæ nos prestitimus conjunctis cultibus omnes,*

*Unicus Hugo tuus prestare laborat; & orat.*

*Triduus est cultus peragendus, ritè peregit.*

Ordi-



Orditur. Magni qui qua ratione vocati,  
 Magnus Alexander, magnus Pompejus ob acta,  
 Et magnus Carolus Romanicus Induperator,  
 Quis negat? in magnis magnum decet esse: subaddit  
 Fur quidem Jannem de Rutæ stemmate Magnum.  
 Magnum, propter onus susceptum pondere magno,  
 Ritibus in cultus methodoq; per omnia compar.  
 O Tibi quàm rarum concessit Jova talentum!  
 Hugo, perspecti cordis pars candida nostri!  
 Ceu promus-condus non deficiente culinâ  
 Exponit victum Ducibus summisq; Dynastis:  
 Sic te destituit nunquam facundia lingua,  
 Exemplis nosti polyhistor flectere sensa,  
 Principis, atq; feris Moses cornu impete justo.  
 Aulæ addictos, vel quos malus abstulit error  
 Et vita & fidei, calido fervore reducis.  
 Nilq; malis cedis; sed contra animosior instas  
 Vince malum mundum, dabit olim Jova brabeum.  
 Desuit haud operi sancto modulamine miro  
 Francus, qui MELIOR multis, si Musica laurum  
 Affectet, certentq; viri pro laude canendi.  
 Laudo meum Francum, gravibus qui suavia miscet.  
**P**ulpita Gymnasij, vos & mea Musa salutat.  
 Pulpita, quæ duplo mihi duxi jure verenda.  
 Pulpita, discipulum fovistis itemq; docentem.  
 Si lingua vobis centum sint oraq; centum,  
 Non Casimiriacam Charin explicuisse potestis;  
 Dicite at interea, quæ vobis festa parata,  
 Dicite, quæ Phæbus docuit subsellia vestra.  
 Sim functurus ego vice vestrâ. Ignoscitis ultro.

F.

Phæbus

Eingang der  
 ersten Jubels  
 predigt in Für:  
 Hoffkirchen.

Herr Capell  
 meister thut  
 mit musiciren  
 sein Ampt bey  
 dem Jubelfest.

Jubelfest im  
 Fürstl. Colle  
 gio, wie es mit  
 disputiren vnd  
 peroriren ge  
 halten worden  
 sey.



Herz D. Mey-  
fart, Director  
disputirt von  
Bäpftischen  
Jubel Jahr.

Herz D. Kesler  
Superint. zu  
Eiffeld dispu-  
tirt an H. Ge-  
neraln Super-  
int. Stadt d. 1.  
Julij vor und  
nach Mittag  
von der A. C. wis-  
der Doct. Före-  
rum, Respon-  
denten sind M.  
Seelman Pf.  
zu Lauter und  
M. Bayer Dia.  
zu Newstad.

*Phœbus multus adest : hic disputat, arte refutat,  
Dicit, confirmat, respondet, tela retundit.  
Stat modò Rhetoricus, Demosthenis amulus alter.*


**J**ubila, jubila, jubila, jubila, jubila docta !  
**O** Casimiriacam pubem ! decet ore rotundo  
*Grates ferre Deo, Gravibusq; referre Scholarchis.*  
Meyfartus primum lapidem movet, atq; palastra  
Jubila proponit Papalia, ludicra, avara.  
Director Meyfarte, tua commissa juvenus  
Cura, nunc plaudis meritò dans jubila votis :  
Jubila Meyfarto sint tempora quaq; verendo !  
*Pergo. Scholarchalis concesserat ordo Senatus,  
Ingenij ut flumen manaret divite venâ*  
Kesleri : *Ecce alacri pede scandit pulpita Doctor,  
Et Doctoris obit benè fidus munia Finckl,*  
Förerumq; docet, ductore opus esse Fürero.  
*Audimus, quàm promptus erat dissolvere nodos.  
Magnus Aristoteles & divus Apostolus unquam  
Si coëant, coëunt Keslero praside stante.*  
*Non sine mente sonum noster Keslerus adornat,  
Ceu malè rafa cohors studio surdastra subinfert.*  
*Si manus Apellis mihi Durerivè fuisset,  
Pro tunc pinxissèm, non maxima Lumina sphaera  
Theologica, perspecta tibi, præclara Coburga,  
Stellas pinxissèm, sed non sine luce, minores.*  
*Aurea, Vos scitis Proceres & chara juvenus,  
Aurea, dico fuit prasens collecta corona  
Pastorum, à longè quos pes deduxerat ad nos,  
In magno numero. Mihi delectabile visu !*

*Ad*



*Adiunt, proponunt doctè, casusq; notatos  
 Immiscet cautè, expectant responsa modestè.  
 Non mora. Respondent Pastores, ritè vocati  
 Hoc ad onus sacrum; sed non sine laude peractum:  
 Vir animæ primus Lauteræ pascit ovile,  
 Christi: Neustadt propè Ericas Bavarus alter.\**

Sehr viel H.  
 Pastores auffm  
 Land sind zu  
 gegenwie folgt



*Manè.*

- Joh. Hoffman Pfarrer zu Steinbeyd. Opponens. 1.
- M. Marcus Bonav. Bleyer / Pfarrer zu Elsa / Oppon. 2.
- M. Joh. Eatterman / Pfarrer zu Sellershausen / Oppon. 3.
- Georg Bihm / Pfarrer zu Lindenaw / Oppon. 4.

*A meridie.*

- Johan. Kilian Past. Dummerstadt / Oppon.
- Johan Scheler Pfarrer zu Ahorn / Oppon.
- Matthias Krebs Pfarrer zu Wiesenfeld / Oppon.
- Kilian Seifried Diac. Rotag / Oppon.
- Christoph. Thomas Diac. Hilperh. Oppon.

*Auscultantes.*

- Casp Fischer Pfarrer zu Seidmansdorff.
- M. Balthasar Bertsch / Pfarrer zu Scheuerfeld.
- Nicol. Lucius, Pfarrer zu Wolfsbach.
- M. Leonh. Glaser / non ita prid. Pfarrer zu Ehringshoff.
- Johan. Freitag / Pfarrer zu Grub.
- Nicol. Wirsing Diac. Mederens.
- Johan. Hoffman Diac. Heltburg.
- Johan. Decker Diac. Dummerstadt.
- Georg. Adam. Ordo, Exul Herrathensis.
- Johan. Heubner Diac. Heltburg.



*\* Tu quid mente agites, Mey, Consultissime Doctor?  
 Conscendis cathedram vacuus gravioribus actis,  
 Orator dicis (nisi me malus occupat error)*

Herz D. Josua  
 Maj, Scab. &  
 Prof. helt ein  
 Oration d. ult.  
 Jah.



Was derselbe  
Inhalt.

Herz Seiden-  
becher Diac. &  
S. L. Prof. hielt  
ein Oration d.  
ult. Junij zu  
Mittag.

Was derselbe  
Summ.

M. Fromman  
hielt ein Oration  
d. 9. Junij, und  
wobon dieselbe  
handelt.

at  
Herz Spindler  
Prof. hielt ein  
Oration d. 3.  
Julij in festo  
Collegij.

*Anne sacri imperij Proceres pro parte Lutheri  
Stantes ritè forum mentis, qua nescia vinci,  
Judice pro dederint? Affirmas themate docto.*

*Densò compellat mea Te pia Musa, Philippe  
Collega, annè parùm est sacros gustasse labores?  
Multas perq; vices? placet & Gymnastica tecta  
Ingredier, zelumq; pium monstrare cathedra?  
Est ita. Lutherum defendis ab ore maligno.  
Non malè Lutherus Megalander Biblia vertit.  
Biblia Lutheri sunt commentaria larga.  
Vos Iesucidæ parilem exhibitote laborem.  
Nec malè congeffit quicquam sub mole Tomorum,  
Vel quicquid fuerit commissum ad publica prala*

*Themate cognato sequeris Frommanne Magister,  
Edocuisse placet Lutherum ritè vocatum,  
Doctorem, & verum statuisse ad singula promptum.  
O Frommanne, viros pariles re-nomine quare.  
Per barbam rubram debes cognoscere Froman,  
Ore loquor Finckl, qui versu ita luserat olim.  
Finckius ut cecinit manet altâ mente repostum.  
Rara avis in terris nigroq; simillima cygno,  
Vir bonus hoc seculo: nunc virtus exul omnis.*

*Nec te pratero, Logicum quem finxit Apollo  
Solertem, Spindlere, piò das jubila zelò.  
Pro cathedra jungens simul ac Gymnastica festa.  
O Spindlere, mihi quondam commisse docenti  
In Casimiriaco, qui Musis fertilis, agro.  
Es memor, ut dixti, quod scripseram, at omine dextrò:  
Sapè stylum vertis, Spindlere, eris arte Magister,  
Si benè ceptam urges nec cessas texere telam.*

Even.



Eventus docuit, logicâ stas arte Magister.  
 Nunc mihi discipulo de tanto gratular ipsi:  
 Christe, ab discipulos, gnari qui pulpita visunt  
 Gymnasij, facias Doctores undiq; claros.  
 Degeneres animos tandem pudor arguit: O si  
 Præteritos referat nobis Deus optimus annos!  
 Sed frustra. Verbum, tempus, viridūq; juvenus  
 Non revocantur, ubi semel a volitasse videmus.  
 Et Tu charè mihi, zelo, Ludovice Magister,  
 Armatus, non vis pro júbilo ἀοὐμβολῶ εἶναι,  
 Bullas Papales illudis carmine docto.  
 Sic lusu ingenij vincis. Bulla est tibi bulla.  
 Bulla quid est? Bombax. Precioso at venditur auro.  
 Ludat Papa satū. Non vincet, victus abibit.  
 Tu Ludovice, mihi vinclo junctissime sacro,  
 Spartam, quam nactus, pulchrè ornas, teste Lycéo.  
 In ludo hoc vinctes, olim majoribus aptus.  
 Júbila nostra hæc sunt, memori ceu mente tenetis,  
 Patres, Collegæ, fautores, quisquū & hospes  
 Forsan ades, sunt hæc tua júbila, festa Coburga,  
 Tu, nisi, Christe juves, ruet heu! Germania discors,  
 In se seva, furens in propria viscera ferrô.  
 Turca ferox noster, plures non poscimus, hostis.  
 Hic Rhodus, hic saltate, truces Mavortis alumni.  
 O Vos jurati Proceres ad fœdera sancti  
 Imperij, an nondum didicistis verba pœtæ?  
 Nulla salus bello? quin surgite, surgite tandem!  
 Ventum ad supremum est. Vigilare, orate: Faceffat  
 Privæ salus, si publica res nocumenta queratur!  
 Pax! pax! clamatur. Mediorum mentio nulla est.

M. Ludwlg hielt  
 ein Oration d.  
 2. Julij.

Der Oration  
 Inhalt.

Was man  
 bey dem Jubelfest  
 sich in verschie-  
 denen  
 Stenden und  
 Puncten zu er-  
 innern.



Si mihi vena foret Lucani sive Maronis,  
 Vena exhausta foret, bello depingere nostro,  
 Que sit Lierna mali. Patuisti. Sed vera fatebor  
 Tot non sunt gutta nostro, cetera dicitur, Iiso,  
 Quot mala passa fuit regio vel Francica sola.  
 O bellum! bellum! clamat Germania tota:  
 De causis belli tanti quam mira leguntur  
 Pro-contra: adduntur Pasquilli & scommata mille,  
 Nec satis. Affectant causas dare, cerdo, bubulcus,  
 Mendicis, mimis, balatro, verno, oleo, pellex.  
 Hei male! Peccatum bello fomenta ministrat.  
 Peccatum tanti, peccatum est causa tumultus.  
 Iliacos intra muros peccamus & extra.  
 Hinc illa lacryma! hinc non evitabile belli  
 Vulnus, & in fibris heret lethale. Toparchæ,  
 Hic adhibete manus medicas, qui sceptrum tenetis.  
 Stringe, magistratus gladium: peccata relega:  
 Virtutemque reduc: pietatem & jura tuere.  
 Utere jure tuo, fontes, Satanaeque ministros;  
 Pradones, fures, sagas cum complice, scorta,  
 Vinculis, fune, rotâ, gladio, virgâ, igne coerce.  
 Ocives, cives, virtutem querite primum.  
 Post pax fulgebit, quò Marspiter exulet instans.  
 Hic est contemptor verbi, blasphemus & alter.  
 Hei quot scorta fovet passim Germania nostra!  
 Hei quot sint mæchatores, Christi exdium opus  
 Novit. Judæos Christiano flumine tinctos  
 O quot nutrit, amat, quot honorat, Francidos ora?  
 Invidus alterius rebus stomachatur opimis.  
 Duplex lingua valet: sed candor stultus habetur.

Hic.



Hic-hac quot magicas exercet turpiter artes?  
 Nec fastum fatuum taceo. Sunt omnia plena  
 Stultorum. Heu seclum Germanis exitiosum!  
 Nunc Alamôda-Alamôda in honore, in amore, & in  
 Os Alamôd loqtur. Sordent idiomata lingua. (ore est.  
 Syllaba torquetur miserè, dum faucibus exit.  
 Oraros Francos Francôo idiomate suctos!  
 Post-la-manusq; genusq; pedesq; Alamoda movetur:  
 Et caput & nictus oculorum Alamôda moventur.  
 Quàm variè dorsum sinuoso inflectitur arcu!  
 Ridiculè cervix titubat, serpentis ad instar.  
 Vestimenta vides Alamodica? suggero in aurem:  
 Spinthes cū Mopso, Corydon cum fratre Menalca  
 lactant, se formas donasse Alamôda superbis.  
 Nobilium & resonare docent Alamodica villas.  
 O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit,  
 Dum nostram tentas Alamôda docere juventam?  
 Non Alamôda placet, quos Pallas vestit honesta.  
 Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis,  
 Tuq; Alamôda tuus. Turpe est monstrari: Hic est:  
 Hic Alamôda-Alamôd: quidni vel morio Mötzla?  
 Sed quò me zelus? dicendi contraho vela.  
 Interea at summos nostros, Deus alme, dolores  
 Et patria commune malum & communia fata,  
 In meliora refer. Miseris miseresce Jehova.  
 Non opis est nostra: tua sunt hac munia, IESU!  
 Provideas, ô Christe potens, ne nomen honorq;  
 Corruat in templis tuis, & Jesuviticus error  
 Sub Ruta irrepat! Maneat confessio nobis!  
 Ecce in regna tua innocuo tibi sanguine parva

Conclusio vo-  
 tiva.

Atq;



Q. 3352

Atq; retenta diu, quot monstra, horrentia monstra,  
 Papali de monte cadunt minitanti fulmen,  
 Heu quam doctrinam? qua caelo tartara misces.  
 Ah dispelle dolos atq; artes mille nocendi!  
 Edibus in nostris fidum tibi collige caetum,  
 Surge, o surge Deus, motos compesce furores.  
 Respice Saxoniam compressam respice Rutam,  
 Respice Casmirum cum conjuge, respice clemens.  
 Respice templa, Scholas, discentes atq; docentes.  
 Respice Consultos; Pietas-pax oscula figant  
 Mutua, ne novus huc male gratius hospes  
 Succedat. VERBUM DOMINI DURABIT IN  
 AEVUM.

Jubila splendida, jubila maxima dicite Patres!  
 Jubila fervida, jubila plurima, dicite fratres!  
 Jubila sobria, jubila seria, dicite Amici!  
 Jubila dulcia, jubila consona, Musica dicas!  
 Jubila dico, jubila dicam, jubila DIXI.

Psalm 115.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini  
 tuo da gloriam: Ergo

LAUS SOLI DEO.


AMEN.



M.C.







ULB Halle  
004 967 755

3




VD 17











  
 mus, & cum bono  
 Celsissimi Princeps  
 Saxonie, Julie,  
 ne, ad peculiarem  
 hinc inde celebrat  
 bono exemplo vob  
 ὁμοθυμαδὸν, de  
 hoc JUBILEU  
 tremus, ut merito  
 porteat: O De  
 Egomet in dom  
 delectatione, perpe  
 BILEI nostri fe  
 nimum induxi m  
 gente susciperem  
 bus modis scilicet  
 simiriano, festu  
 celebratum fit.  
 Quicquid  
 manam captaran  
 ostenderem: se  
 tura est, constare  
 in mea dilectissim  
 Vos nobiscum ad  
 cultu; Ego hur


  
 Prudentia,  
 motores, Fautores  
 venerandi - aman  
 nostrum JUBI  
 i nos addicti su  
 Illustrissimi &  
 IMIRI, Ducis  
 nentissimi, ditio  
 circumstantialiter  
 , uti speramus,  
 simul ὁμοθυμαδὸν  
 s, ceu speramus,  
 stat enim dies ex  
 ngemiscere nos o  
 m & propositum!  
 non sine singulari  
 6 πέντε in JU  
 eracta: Inde q, a  
 orem DEO divi  
 lescriberem, qui  
 & Collegio Ca  
 sime peractum &  
 n ut gloriolam hu  
 nullam agnosco,  
 eritati, si qua fu  
 z COBURGI  
 Cum igitur &  
 ipso religiosissimo  
 ὁμοθυμαδὸν, plurimo  
 rum

